



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Apologia Thomistarum, seu Calvinismi & Iansenismi depulsio,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

# APOLOGIA THOMISTARVM,

Seu Calvinismi & Iansenismi depulsio.

## P R Æ F A T I O.

**N**ter diversas veritatis deserte calumnias, quibus olim à Pelagianis pulsatum cum Ecclesia legimus Augustinum, hæc una cæteris acerbior, sapius, & invidiosius repetita, Sanctissimum Virum movebat, quod tanquam Manicheus palam traduceretur, quasi plus æquo divina gratia, in præjudicium libertatis, faceret. Non poterat Vir Sanctus dissimulare calumniam, & prostratos fidei hostes alloquens, quibus vana sine viribus ira, & una ad conviciandum vox supererat: Vobis (inquit) tam malitiosum venenum antiqui serpentis irrepsit, ut & Catholicos horrore Manichæi nominis infametis. Et Iuliano, hæreticâ, id est perfrictâ fronte, insultanti, impropere, solitum nefario vocabulo terrere imperitos, cum diceret, ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi.

Nihil habet Schola Thomistica majus, quam ut in his de gratia & libero arbitrio disputationibus, D. Augustinum magistrum audiat, nec ab ea doctrina, quam totis viribus defendit, & cui immortuus est, vel latum unguem recedat. Sed aliud etiam unde nihilo minus glorie in Scholam nostram redundat, licet addere, quod D. Augustino, nedum doctrinæ, sed & calumniarum consortio jungitur, hoc enim habet cum suo Magistro commune, ut consensionis doctrinæ cum hereticis, ab æmulis accusetur.

Quamprimum libris editis vulgata est calumnia, quam vix unquam S. Augustini, & D. Thomæ Discipuli, sibi importari potuisse credidissent, egregie depulsa est, plurimorum operâ, ut erat res facilis: & inter præcipuos, Collegij Salmanticensis Theologus, & Ioannes à S. Thoma, ita argumenta omnia contriverant, ut ea calumnia, cum tota lite profligata videretur, nihilque ultra esse metuendum, quam ut Adversarij, suæ famæ potiùs quam nostræ causæ nocerent: si eandem accusationem cum suis argumentis, quibus non tam fidem, quam fucum facerent, instaurarent. Suadebat etiam post ista sibi temperaturos, quod neminem lateret, hanc accusationem consensionis cum Calvino, à sola amoliendi Pelagianismi suspicionem necessitate proficisci. Ita enim Ripalda Societatis scriptor, minimè suspectæ fidei, & sincere, etiam ultra quam sui forsitan voluissent, ultro scripserat, ad hanc accusationem suos fuisse compulsos, necessitate defensionis, quam vix aliunde petiissent. Bannez (inquit) & plerique ejus Discipuli, in publicis disputationibus, privatisque sermonibus, & scriptis, cæperunt notare illam sententiam (Molina scilicet) Pelagianam. Contra nostri, ut notam Pelagianismi suæ sententiæ vitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi. Sed demum, præter dubiam spem, certam etiam securitatem afferebat, quod nedum à partium studio remotis, sed ipsis etiam Adversariis probarentur, quæ inter Calvinii & suam doctrinam Thomistica discrimina designaverant, & quotquot è Societate contra Iansenianos scripserant, etiam Thomistarum patrocinium suscepissent, & ab eorum Schola omnem Calvinismi, & Iansenismi suspicionem depulissent.

Verum ut cogitationes hominum, & ipsi homines sapius fallunt, nec ulla est in Adversarij fide victoriæ spes reponenda, adhuc post ista, post tot præjudicia, quibus non ex vero hanc accusationem proficisci, ipsa Adversarij, quâ nullus gravior aut fide dignior testis haberi potest confessione, palam omnibus erat; post probatam Adversariis Thomistarum defensionem, post susceptam etiam nostræ Scholæ vindictam.

## APOLOGIA THOMISTARVM.

cationem, & narratam præclare operam, quâ nos à Calvinî erroribus, longissimis intervallis fecernebant; iterum tamen, atque iterum, tum libris editis; tum scriptis, & sermonibus privatis, Calvinismus objicitur. Iusta adhuc est (si Adversario fides) insignium Catholicorum suspicio, quâ nimiam sententiæ Thomistarum cum sententiâ Novatorum affinitatem timet. Iusta adhuc defensorum scientiæ mediæ petitio, qui post tam longam tot annorum altercationem, adhuc querunt, quæ sit reipsa differentia inter Adversariorum & Calvinî doctrinam, in ea præcisè dubitatione, quâ petitur, sit ne aut non sit in homine liberi arbitrij usus aliquis? inquit P. Annatus, libro pro defensione scientiæ mediæ

*Disp. 4.  
cap. ult.  
§ 110.*  
Tolosæ edito.

Sed mecum sensuros cordatos viros non dubito, quibus hæc ars negandi & affirmandi, pro ratione temporum, probari non potest, justiore D. Thomæ Discipulos habere exoptulandi rationem, quod cum in causa Iansenij, eos in diversam à Calvinî erroribus sententiam abire contendant, & inde tam longo intervallo distare, ut terræ potius cælum sociari possit, quàm adeo diversa placita in unam sententiam convenire; adhuc Calvinismum impropere Thomistis, à quibus, si fas est credere, pene Calvinus prodierit, & quibus Trivisus jure societatis suppetias laturus, sese patronum adjunxerit.

Quod olim, cum primùm exorta est inter D. Thomæ & Molinæ discipulos disceptatio, objiceretur nostræ sententiæ cum erroribus Calvinî consortium, non admodum agrè tulimus; agnovimus defensionis necessitatem, argumentum suggestisse, & ejusmodi esse, qualia objici solent plurima, quæ nec sudore nec labore egeant ut solvantur. Quod post exortas Iansenianorum cum Molinæ Discipulis concertationes, Molinistæ Thomistarum causam agerent, & remotissimos esse à Iansenij partibus contenderent, plurimùm gratulabamur; & ita nobiscum reputabamus, vexationem dedisse intellectum, & hoc saltem Adversarios reportasse commodum ex concertationibus cum Iansenianis, ut Catholicam esse Thomistarum sententiam, justamque defensionem, & agnoscerent, & probarent.

Verùm post agnitam, ac probatam, defensionemque nostræ Scholæ doctrinam, & recensita, ac veluti digito designata, plurima inter Calvinum & nostros discrimina, iterum nobis ex Calvinismo conflari invidiam, id sanè nedum Thomistæ, sed quidquid est eruditorum hominum, quibus veritas cordi est, agrè ferent; & agnoscent quod aliquando Ripalda dixit, accusationem non ex sententiâ quæ animo sedeat, sed ex necessitate defensionis proficisci, vel ad creandam insontibus apud vulgus invidiam; & demum nullam, cum de Calvinismo Thomistis objecto agitur, Adversariis habendam fidem, à qua exciderint, eâ scribendi ratione, quæ toties pro ratione temporum sententiam mutat.

Cum primùm Theologiæ cursum parare cœpi (anni circiter septem inde elapsi sunt) jam tum Apologiam Scholæ nostræ, & vindicias meditabar, & quarto Tomo primæ editionis pollicitus sum: sed fuit apud me plurimùm dubitandi locus, ne periculum esset, si eorum cursum interciperem, qui egregiè causam Thomistarum agebant. Sed postquam eò progressi sunt, & adeo calcata est via, ut nullum periculum sit, eos aut revocatuos gradum; aut negatuos eam iniivisse viam, opere pretium visum est, & opportunum tempus, quò fidem promissorum absolverem, & in defensionem Scholæ nostræ ostenderem, quò tandem pervenissent. Sanè eo pervenerunt, ut causam nostram egregiè promoverint, nec felicius unquam, quàm à Molinistis, Thomistæ defensi sunt; non perfunctoriâ, aut levi operâ, sed toto quo valebant conatu; quod mirari (erudite Lector) desine; ita enim eorum res postulabant, etsi forsitan non ad eò suæ fame consultum sit; vix enim ea scribendi ratio, eruditus viris probari poterit, quæ neget & affirmet, accuset & defendat, ut varij affectus animi, aut temporum, & rerum occasiones impellunt.

ARTICVLVS PRIMVS.  
 THOMISTÆ AB ADVERSARIIS  
 defensi, & vindicati ab errore Calvini.

1.  
 Homil.  
 a. de Pas-  
 chate.



*V*alidis absque dubio niritur pri-  
 vilegiis (inquit S. Eucherius) qui  
 causam de adversarij asserit in-  
 strumentis. Speciosa victoria est,  
 contrariam partem cartulis suis,  
 velut propriis laqueis, irrecire. &  
 testimoniorum suorum vocibus confutare; & am-  
 bulum telis suis evincere, ut pugnantioris sui argumen-  
 ta, suis probentur utilitatibus militare. Hoc unum  
 ago toto primo articulo, ubi luce meridianâ cla-  
 rioribus testimoniis, quæ ex integro, ne quidem  
 præteritâ syllabâ, refero; demonstro egregiam  
 Adversarios in defendendis Thomistis navasse  
 operam; & optimè de nostra Schola meritos, à  
 qua suspicionem omnem erroris & consensionis  
 cum Calvino & Jansenio longè depulerunt.

2. Sed cum inter præcipuos, qui in defensionem  
 Molinæ, & scientiæ cuius se patronum gloriatur,  
 libri editi sunt, primo loco reponi debeat liber  
 scientiæ mediæ defensionis, Tolosæ editus à R. P.  
 Francisco Annato, ubi & eloquentia, & ingenij  
 solertia, & acumen contendunt (nam de veri-  
 tate non puto expectare à D. Augustini, & S.  
 Thomæ Discipulo laudem) is etiam præcipuus  
 est liber, quò validius hoc argumentum contra  
 Thomistas urgetur ex consensione & fœdere cum  
 sententia Calvini, quamvis (inquit) *suspensio*  
*judicio, more dubitantium, expectando solutio-*  
*nem.*

Idem argumentum cæteri, licet debilius, intor-  
 quent, adduntque cum Jansenio consensionem,  
 quem in eadem cum Calvino versari navi, quem  
 Calvinum contractum, Calvini discipulum, &  
 compilatorem dicunt: quamvis etiam aliqui nu-  
 per, ut semper tempus novum aliquid parturit,  
 dicere ceperint, Jansenium à Calvino remotissi-  
 mum esse, forsitan ut viam sibi parent ad aliquid  
 gravius, & quod longo tempore & arte eget, ut  
 aliquando palam asseratur, solam in Jansenio  
 gratiam per se efficacem damnatam fuisse. Primo  
 igitur loco, purgatos à P. Annato Thomistas,  
 & in tuto positos demonstro, nihilque, eo iudice,  
 Scholæ nostræ cum Calvino & Jansenio esse com-  
 mune; & iis quæ libro Tolosæ edito, pro defen-  
 sione scientiæ mediæ, fusè per quadraginta tres  
 paginas prosequitur, ex aliis, quos postea contra  
 Jansenianos edidit, libris, respondeo.

3. Disputatione igitur quartâ hujus libri quò  
 scientiam mediæ defendit, objicit Thomista-  
 rum doctrinam, societate & affinitate cum er-  
 rore Calvini & rigidiorum Calvinistarum con-  
 junctam & federatam esse *nec nisi verbo tenus,*  
*& penes loquendi modum,* discrepantem. *Vros-*  
*que ait habere in definitionibus Tridentini quod*  
*deleri cupiant.* Tuisum Calvinistam, jure so-  
 cietatis, Thomistarum patronum accessisse. Nul-  
 lum Thomistas inter & Calvinum discrimen re-  
 pertum, nec sibi ab extraneis, nec ab ipsis Tho-  
 mistis oblatum; licet repetitis interpellationibus,  
 opportuna & importuna voce exposulaverit.  
 Amesium & Molinæum ita ardentè amplecti

Tom. I.

A Thomistarum sententiam, de prædefinitione ma-  
 terialis peccati, ut dices dum *questionem hanc*  
*tractans, in schola Didaci Alvarez audivisse.*  
 Illos quos Dominicus Soto audire solitus erat in  
 scholis, nimirum Thomistas, damnatos fuisse in  
 Tridentino. Modum defendendi libertatem,  
 quem Amesium accepit ab Alvare, pertinere ad  
 Calvinismum, & consequenter non esse ad mentem  
 Tridentini. Denique omnes ingenij nervos in-  
 tendit, omnem eloquentiæ artem, Rhetorica  
 tropos & figuras adhibet, nihilque non movet,  
 ut accusationem verosimilem faciat. Sed nescio  
 an gravius an levius accusationem Thomistæ  
 ferre debeant, cum eam postea libris, tum Ro-  
 mæ, tum Parisiis editis, diligenter amoliat.

B Cum igitur aliud ratio temporum postularer,  
 quod prius scripserat, emendavit in responsione  
 ad 17. Epistolam Ludovici Montalij, pagina 61.  
 & 62. *Gratia efficax* (inquit) *duplici modo de-*  
*fendi potest, quorum unus hereticus est, hereticis*  
*principiis nixus; alter orthodoxus, sanctis au-*  
*thoritate Conciliorum principiis suffultus. Pri-*  
*imum sequitur Calvinus, & idè hereticus est. Ca-*  
*tholici Doctores, Thomistæ, Scotistæ, Sorbonistæ,*  
*Iesuitæ, de secundo consentiunt; & propterea va-*  
*riis licet concertationibus distracti, tamen in ea-*  
*dem & indivulsa communione Ecclesia perman-*  
*ent. Ergo ut explores, an Jansenius defendende*  
*gratia efficacis professione sit immunis, illud in-*  
*dagandum, quo pacto illam defendat, tanquam*  
*Calvinus, an tanquam Catholici Doctores?*

C Calvinus ita gratiam efficacem defendit, ut ab  
 illa nullam aliam nobis relinqui libertatem pueri,  
 nisi illam qua dicitur à coactione. Ceterum ab istâ  
 gratia necessitatem imponi, que potestatem auser-  
 rat resistendi, quandiu gratia perseverat. Catho-  
 lici Doctores inter se consentiunt, gratiam per se  
 efficacem, ita regere voluntatem, ut vim & pote-  
 statem resistendi ei non adimat; ita ut hæc duo in-  
 ter se componantur, gratia in voluntate, & in ea-  
 dem voluntate sub gratia constituta, sufficiens non  
 consentiendi potestas; nec dubitant quin hæc sit ve-  
 rus Tridentini Concilij sensus in istis verbis, po-  
 testat dissentire si velit.

Sed ne quid à me tentatum aut temeratum esse,  
 in referenda Adversarij sententia, Lector existi-  
 met, placuit omnino eadem verba, quæ Gallico  
 idiomate scripsit, referre.

E Il y a deux manieres de deffendre la grace effi-  
 cace par elle-mesme, l'une qui est heretique, &  
 appuyée sur des principes heretiques, l'autre qui  
 est orthodoxe, soustenuë par des principes établis  
 par les Conciles. Calvin suit la premiere, & en  
 cela il est heretique. Les Docteurs Catholiques,  
 Thomistes, Scotistes, Sorbonistes, Iesuites, sont  
 d'accord de la seconde, & pour cela, nonobstant  
 leurs disputes particulieres, ils demeurent, tous  
 dans l'unité de la Foy, & dans la Communion de  
 l'Eglise. Pour sçavoir donc si la Doctrine de Jan-  
 senius est à couvert par la profession qu'il fait de  
 deffendre la grace efficace par elle-mesme, il faut

T t iij

ſçavoir de quelle maniere il la deſſend; ſi c'eſt de  
 la maniere de Calvin, ou de celle des Docteurs  
 Catholiques.  
 Calvin deſend tellemēt la grace efficace par elle  
 meſme, qu'il croit qu'elle ne laiſſe autre liberte  
 que la liberte de contrainte, nous aſſujetiſſant au  
 reſte à la neceſſite d'agir, qui nous oſte le pouvoir  
 de reſiſter, tandis que la grace perſevere. Les Do-  
 ctors Catholiques ſont d'accord, que la grace effi-  
 cace par elle-meſme, gouverne tellement nôtre vo-  
 lontē, qu'elle nous laiſſe le pouvoir de reſiſter, en  
 forte que ces deux choſes ſe trouvent enſemble,  
 la grace dans la volontē, & dans la meſme volontē  
 ſous la grace efficace, un pouvoir ſuffiſant pour  
 ſ'empēcher d'y conſentir. Et ils ne doutent point  
 que ce ne ſoit le veritable ſens de ces paroles du  
 Concile de Trente, *potest diſſentire*, Bannez, &  
 Molina, & tous les Docteurs Catholiques, qui  
 ont les ſentimens les plus éloignez, & les plus  
 oppoſez ſur le fait de la grace, ſont toutefois  
 unis en ce point.

Nihil melius in deſenſionem Thomiſtarum ad-  
 verſario dicendum ſupererat, eſſi à Thomiſtis  
 conductus fuiſſet, aut in eorum caſtra pugnaturus  
 tranſiſſet.

5. Pergiſt adhuc libro quem Romæ edidit de li-  
 bertate incoacta, contra Apologiſtam Janſenij  
 cap. 2. §. 4. ubi hæc habet omnino ad guſtum &  
 ſenſum Thomiſtarum, eorumque principiis planē  
 conſentanea: *Inde proceſſit error Janſenij* (quem  
 dicit eundem eſſe ac Calvinij) *quod putaverit ſe*  
*eodem modo philoſophari poſſe quō Thomiſta, cum*  
*tamen diverſiſſima ſint eorum principia. Nam*  
*Thomiſta cum vitioſa concupiſcentia verbi gratiā*  
*ponunt ſufficientem gratiam ad reſiſtendum, nec*  
*putant quidquam requiri in alterutro caſu, quod*  
*habeat rationem principij & virtutis activæ; &*  
*ideō dicere poſſunt ſimilitatem eſſe potentia ad*  
*utrumlibet oppoſitorum immediatē ac proximē;*  
*neque unquam ſenſum compoſitum & diviſum ſic*  
*explicuerunt, ut dicerent voluntatem poſſe unum*  
*in ſenſu compoſito, & in ſenſu diviſo; hoc eſt ſuc-*  
*ceſſivē, atque ex hypotheſi quod fiat mutatio in*  
*prærequiſitis ad agendum. Nunquam Thomiſta*  
*ita ſenſum illum compoſitum & diviſum explicue-*  
*runt.* Et contra Commentatorem cap. 2. §. 1.

Quem invenient Janſeniani inter Thomiſtas,  
 qui concedat ita neceſſarium conſenſum, quem  
 voluntas præbet motioni gratiæ, quandiu illa in-  
 heret, quomodo neceſſarium eſt amor beatiſicus,  
 quandiu durat viſio? Quem invenient qui dixe-  
 rit, voluntatem divini gratiæ prædeterminatam,  
 carere proximā ad diſſentiendum potentiā? Quem  
 dabunt qui diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi  
 ſic interpretetur, ut ſenſus ſit, voluntatem à Deo  
 motam poſſe diſſentire, quando illa motio abierit,  
 & advenerit alia?

6. Quæ hæcenus ex P. Annato ſummā fide retu-  
 limus, univerſum D. Thomæ doctrinam ab erro-  
 ribus Calvinij ſejungunt: nunc ad ſingulas deve-  
 nio, quibus controverſia omnis conſtat, & quas  
 non minori ſtudio & curā defendit. Nemo eſt  
 qui D. Thomæ vel Molinæ Scholam è limine  
 ſalutaverit, qui neſciat præcipuē controverſiam  
 verſari; an ulla ſit in voluntate libertas indiffe-  
 rentiæ, præter indifferentiam judicij? Si nulla ſit,  
 nullum etiam inter Thomiſtarum & Hæretico-  
 rum, quos Tridentinum damnat, intercedit diſ-  
 crimen. Si ſecus, nulla conſenſio. Scripſerat P.  
 Annatus diſput. 4. cap. 4. §. 3. num. 111. libri  
 Toſolæ editi pro deſenſione ſcientiæ mediæ (ubi

libertatis Thomiſticæ quibus voluit coloribus &  
 lineamentis tabellam depinxit) hæc duo ſolū  
 apud Thomiſtas reperit, quæ ad rationem agen-  
 tis liberi, & liberæ actionis requirunt, nimirum  
 in intellectu indifferentiam judicij, & in volun-  
 tate immunitatem à coactione. *Postquam* (in-  
 quit) *excuſſimus omnia ex Adverſariorum ſen-*  
*tentiā, nihil aliud invenimus, quam eſſe Dei præ-*  
*definitionem abſolutam, efficaciem, inſallibilem,*  
*ex qua ſequitur actio voluntatis, ſeclūſā coactione*  
*omni ac violentiā, & ſuppoſitā cognitionum me-*  
*diocritate &c. Quod idem ſapius repetit, ut*  
 pene Lectorem fatiget: ex quo demum inferit,  
 quod totā diſputatione urget, Thomiſtas non  
 diſſerre à Calvino, *nifi verbo tenuis, & in uſu*  
*vocum, quia Calvinus utrumque admittit, & ex*  
*hac libertatis tabella, nihil proſus delevit.*

Verūm diligentius poſtea libertatem Thomi-  
 ſticam excuſſit, & in reſponſione ad 17. Montal-  
 tij, quam ſuprà cum laude retulimus, contendit  
 tertium aliquid reperiri, quod ad libertatem hu-  
 manorum actuum, præter indifferentiam judicij,  
 & immunitatem à coactione, Thomiſta requi-  
 runt, ſcilicet indifferentiam actualem, ſeu diſ-  
 ſentiendi potentiam; ex quo ſuprà intulit, nihil  
 eſſe Thomiſtis cum Calvinio commerciij. Sicigi-  
 tur habet: *Calvinus ita gratiam efficaciem deſen-*  
*dit, ut ab illa nullam aliam nobis relinqui liber-*  
*tatem putet, niſi eam qua dicitur à coactione; cæ-*  
*terum ab iſta gratia neceſſitatē imponi; qua po-*  
*teſtatem auferat reſiſtendi, quandiu gratia perfe-*  
*verat. Catholici Doctores, Thomiſta, Scotiſta,*  
*Sorboniſta, Ieſuitæ, inter ſe conſentiunt, gratiam*  
*per ſe efficaciem ita regere voluntatem, ut vim &*  
*potteſtatem reſiſtendi ei non adimat.*

Tertium item illud quod ad libertatis naturam  
 pertinet, & Thomiſta exigunt, quod forſitan  
 dum eorum ſententiam in libro de ſcientia mediæ  
 excuteret, propterantem latuerat, reperit in li-  
 bro cui titulus, *Auguſtinus à Baianis vindicatus,*  
 lib. 7. in præfatione: *Ad errorem* (inquit) *impu-*  
*tant Baiani olim damnatum in Maſſilienſibus,*  
 quod non admittatur auxilium gratiæ ita efficaciæ,  
 ut indifferentiam libertatis abſorbeat: impoſita-  
 que conſentiendi neceſſitate, proximam diſſentiendi  
 potentiam conſumat; eoque ſenſu gratiam indif-  
 ferentem negant: quaſi Maſſilienſium inter &  
 Calvinij ſententiam, nullum eſſet medium in quo  
 Catholicis conſentire liceret. Nam quod diverſa  
 ſit hæc ſententiā à doctrina Thomiſtarum, ex eo  
 patet, quia Thomiſta gratiam, quantumvis præ-  
 determinatam, cum indifferentia voluntatis, &  
 diſſentiendi potentia componunt. Et libro de li-  
 bertate incoacta, loco jam ſemel relato: *Quem*  
*Janſeniani invenient inter Thomiſtas, qui dixe-*  
*rit voluntatem divini gratiæ prædeterminatam,*  
 carere proximā ad diſſentiendum potentiā? Item  
 libro cui titulum præfixit, *informatio de quinque*  
*propoſitionibus*, Pariſiis edito anno 1651. dum  
 explicat tertiam propoſitionem ab Innocentio X.  
 damnatam, Alvarem, & Gonzalem, alioſque  
 Thomiſtas, in teſtes vocat, ut probet ab univer-  
 ſa D. Thomæ Schola, libertati aſſeri proximam  
 & expeditam potentiam ad operandum vel non  
 operandum, quæ ad naturam libertatis perti-  
 neat, & quæ ejus definitio conſtet. Quæ ergo fide  
 & ſinceritate dixerat in libro de ſcientia mediæ,  
 Thomiſtas duo tantum ad libertatem requirere,  
 nimirum in intellectu indifferentiam judicij, &  
 immunitatem à coactione in voluntate?

Præter ea quæ hæcenus, impugnatore P. An-

nato, argumenta objecta sunt, eoque defensore soluta, & quæ inter argumenta a priori, qualia Adversariis suppetunt, reponere licet; urget etiam Canonem Concilij Tridentini, & contendit Thomistis, non solum cum Evangelicis, quo nomine Calvinistas designat, communem esse sententiam, sed utrosque etiam habere in definitionibus Tridentini quod deleri cupiant. Cujus rei judicem facit Theophilum Bracherum, vulgò Milleterium. Sed eam accusationem idem Authot depellit, eadem responsione ad Epist. 17. Montaltij, quæ Thomistis nihil timendum asserit à fulminibus & anathematismis Tridentini; cum modus defendendi gratiam per se efficacem, quem docent, orthodoxus sit, & sanctis auctoritate Conciliorum principis suffulcus.

11. Ultimum à signo & à posteriori argumentum, quod disputatione sæpius citatà libri pro defensione scientiæ mediæ urget, judicio Amesij rigidioris Calvinista nititur; quem inter & Alvarezem ita convenire putat, ut in hujus Theologi schola hæreticus audivisse videatur. Ex quo infert modum quem habet Alvarez explicandi libertatem (quò scilicet liberum arbitrium ita moveri dicitur, ut Deo moventi dissentire possit) eum Amesio inter Calvinistas rigidiori communis sit, pertinere ad Calvinismum, & subinde Canonis Concilij Tridentini repugnare, quò nulli unquam Catholicorum dubium fuit hæreticos peti, cum eo fulmine se feriri ipsi hæretici senserint.

12. Hoc argumentum abundè satis infra diluam, sed hoc in antecessum repono, etiam suo Authori debilissimum visum fuisse, & libro 4. contra Bajanos cap. 8. §. 7. num. 4. quod in libro de scientiæ mediæ scripserat, retractasse: *Lutherus* (inquit) *& Calvinus, & eorum sequaces, idè sunt hæretici, quia non admittunt liberum arbitrium, quale postulat Tridentinum, nempe quod excitatum à Deo per gratiam efficacem, possit nihilominus dissentire.* Et infra. *Consequens ergo est, ut dicamus, proximam dissentendi potentiam, & à Tridentino sanctità, & ab Hæreticis hæreticè negatam.* Ergo consequens etiam est, modum explicandi libertatem, & gratiam per se efficacem Alvarez, minimè ad Calvinismum pertinere, quem si Amesius secutus est, optandum foret perinde cætera à viris Catholicis accepisse, quorum ductu ad Ecclesiæ sinum revocatus fuisset. Imò hac unà dissentendi potentia, quam voluntas sub motione gratiæ quilibet efficacis servat, Catholici à Calvinistis fecerunt, quantum ab errore veritas distat: quod citatus Authot observat, tum locis quæ supra retulimus, tum in exercitatione Theologica in librum de libertate Dei & creaturæ, quam Cadurci edidit anno 1632. sub Eugenij Philadelphi nomine, pagina 654. editionis Parisiensis, ubi sic ait: *Cum Thomistæ hac unà lineâ* (quod scilicet prædeterminatio physica non auferat potentiam dissentendi) *hætenus suæ doctrinæ simul & Calvinianæ confinia inconfusa servarint, credebile admodum est, hunc Authorem* (scilicet Guillelmum Gibium, in quem toto hoc opusculo invehitur) *ejusmodi lineam prætergressum, in alieno à Catholicis fundo laborare.*

13. Sanè quæ ultimo loco retulimus, ejusmodi sunt, ut ægrè possint cum superioribus conciliari. Qui enim fieri potest Thomistas, hac unà lineâ (potentiâ scilicet dissentendi) sua cum hæreticis confinia inconfusa servasse; & tamen modum explicandi libertatem ab Alvarez traditum (quo ni-

A mirum liberum arbitrium ita moveri dicitur, ut Deo moventi dissentire possit) ad Calvinismum pertinere, & inter Thomistas & Calvinum, in ea præcisè quæstione, quæ petitur, sitne aliquis liberi arbitrij usus, nullum repertum esse discrimen, nisi verbo tenus, eadem amborum existente sententiâ? Hoc saltem Adversarij ex frequentibus cum Jansenianis concertationibus commodum reportarunt, ut tandem Thomistarum sententiam minimè libertatem ledere probè intellexerint, ut Dionysius Raymundus 1. p. cap. 4. art. 9. egregiè annotavit, his verbis: *Il faut que le Livre de Jansenius ait bien ouvert les yeux aux Jesuites, puis que depuis qu'il a paru, ils ont bien compris comment la Doctrine des Thomistes, touchant la prædetermination physique, ne ruinoit pas la liberté, & estoit différente de celle de Calvin.* Necessè est frequentem libri Jansenij lectionem Jesuitis oculos aperuisse, cum eo tempore quò prodiit, rectè perceperint, quantum Thomistarum doctrina ab errore Calvini differret, eâ parte, quæ ad prædeterminationem physicam spectat, nec destrueret libertatem.

Omitto plura ejusmodi quæ pro eodem argumento promptum esset congerere: ex his enim quæ hætenus expendimus, satis Lector intelliget quod mihi probandum assumpseram, Thomistas ab Adversariis defensos, & ab omni hæresis & erroris, nedum labe, sed & suspitione fœderis & consensionis cum Calvino, fuisse purgatos. Sed ne causam prodam quam defendendam suscepì, intra inculpata tutelæ metas, eaque modestiâ & moderatione animi, quæ inter se Theologos disputare convenit, & eâ lege naturæ insitâ, quæ utrique parti in bello, æquo jure vivendum jubet, & ne alteri neget quod sibi quisque permittit: non dissimulabo, & faciliè Lector ipse consentiet, gravissimam suppetere Thomistis postulandi causam, quòd toties contra propriam mentem, dicta, scriptaque, ab Adversariis Calvinismus improperetur, à quo remotissimos esse millies scripserint. Et erit sanè major, si ordinem quò hæc omnia à R. P. Annato scripta, retractata, iterumque confirmata sunt, observemus.

Cadurci scripsit anno 1632. sub nomine Eugenij Philadelphi, contra Guillelmum Gibium, Congregationis Oratorij Presbyterum, eoque libro Thomistas inquit hac constitutâ lineâ potentia dissentendi gratiæ efficaci, sua doctrinæ & Calvinianæ confinia inconfusa servasse. Post Tolosam petiit, & libro edito anno 1645. nihil ea moratus quæ Cadurci scripserat, contendit Thomistas inter & Calvinum, nullum adhuc discrimen repertum, nec sibi ab extraneis, nec ab ipsis Thomistis oblatum; licèt repetitis interpellationibus, opportunâ & importunâ voce expostularit.

E Verum quod tantâ asseveratione scripserat, cum aliud ratio temporis, & causa privata postularer, visus est sæpius retractasse, tum Romæ, tum Parisiis, pluribus libris editis contra Jansenianos, ut nihil ultra nobis optandum esset, post publicam & iteratam, in duplici orbis theatro retractationem, præter dictorum constantiam. Sed iterum Parisiis anno 1662. alteram libri Tolosæ editi editionem adornavit, & ne quidem expunctâ lineâ, aut immutatâ syllabâ, iterum exclamavit: *Nonne justa est defensorum scientiæ mediæ petitio, qui post eam longam tot annorum altercationem, adhuc querunt, quæ sit reipsa differentia inter Adversariorum & Calvini doctrinam, in ea præcisè dubitatione quæ petitur, sitne aut non sit in*

homine liberi arbitrij usus aliquis? Et tamen nuper libro contra Jansenianos Gallico idiomate scripto, cui titulus, *la conduite de l'Eglise*, inter Thomistas, & Calvinistas, quibus tota tertia parte Jansenium adjungit, decem & octo discrimina observat, & diligenter probat.

16. Relinquo ceteris ut de hac scribendi ratione, quam pene in re litteraria & Theologica, id est gravissima, ludam dixeris, quid libeat, aut quod res ipsa postulaverit, statuam; neminem sane existimo, quamlibet suis partibus adductum, quin fateatur, gravissimam esse expostulandi causam, si qua unquam contigit, tandiu Theologorum vulgus, in re tanti momenti illudi: nam eruditorum hominum, qui res suis momenti metiuntur, & aqua lance librant, neminem arbitror, qui non aegre ferat, Thomistis inuri Calvinismi notam, ab his à quibus se pius purgati & vindicati sunt.

Dixerat quidam è nostris acuti & festivi ingenij, esse quòd Adversarij fortune gratulemur, cum nostra nedum sortis, sed & fidei arbitra fuerit. Dum Tolosa privatus in nos acueret stylium, eo iudice, eramus filij tenebrarum, heretici, Calviniste. Cum verò Regiam urbem & aulam attingit, ejus fortunam secuta est fides nostra, nec minimum mutata sententià, effecti sumus ex hereticis, & filiis tenebrarum, filij lucis, Catholici, Orthodoxi; non merito aut mutatione nostrà, que nulla fuit; imò nec gratià Christi, sed Annati. Etenim gratià Christi fidem non largitur, nisi cogitantibus, & volentibus; hujus verò, nos Fideles ex Novatoribus, non volentes, imò nec cogitantes, effecit.

17. Ego sanè ejusmodi salibus, qui de viro erudito & Religioso, non nihil fortè convitij & injuriæ respicerent, non mihi uti permitto. Sed ut veris agam, dissimulare non possum, quin id mihi semper gravissimum fuerit, eam scholam haresis accusari ab his qui probe sciant, & quod infra demonstrabo, nullam esse in orbe, ab erroribus Calvinii & Pelagij remotiorem. Belli ut video leges servantur in hoc litterario certamine, cum omni armorum genere, nec solà argumentorum vi, sed & qualibet arte pugnetur; quamvis non dubitem, alias postulare leges hoc belli genus, quò sola veritas quaeritur.

#### ARTICVLVS II.

*Pulsanti Adversario aperiant Thomistae, & assignant petita discrimina.*

18. L Vtherus & Calvinus duo præcipua antiqui draconis capita, inter varias quibus religionem omnem & fidem evertere conati sunt controversias, hanc etiam quàm liberum hominis arbitrium extinguerent, procellam excitarunt; & ut olim D. Augustini temporibus, Adumetini Monachi, quos variis à se libris editis, gratiæ necessitatem, & efficacissimas ejus vires, ut admitterent, Augustinus coegerat; in hoc demum extremum declinarunt; ut negarent liberum hominis arbitrium posse cum efficaci gratià consistere, quos Augustinus præclarissimo illo libro de gratià & libero arbitrio convicit, & ad fidem, à qua errore, non animo, deflexerant, revocavit. Ita Novatores, quos aut inscitia, aut malitia, & retum novandarum cupido, adeo transverfos egit, ut invictam gratiæ necessitatem, cum flexibili voluntatis libertate cõponere, aut non valerent, aut non vellent; in idè extremum præcipites acti sunt, ut

A dixerint efficaciam gratiæ esse libertatis excidium. Pronuntiat Christus (inquit Calvinus) efficacem esse Spiritus sancti gratiam, quã trahuntur ut necessario credant. His prorsus evertitur tota liberi arbitrij potestas, quam sibi somniant Papistæ. Et in libro contra Pighium: Ita efficaciter formari voluntatem nostram constituimus, ut Spiritus Sancti ductum sequatur necessario.

Verùm non omnem voluntatis libertatem Calvinus sustulit, aliquam etiam libens admisit, & ad suæ religionis fidem necessariam existimavit. Sustulit eam quam vocant indifferentiã libertatem, & quæ determinationem ad unum per modum naturæ excludit; eam verò libertatem quã voluntas sponte agit suã, sive spontaneitatem, quæ solam immunitatem à violentiã & coactione importat; eam, inquam, in voluntate mota & excitata per gratiam efficacem, & admisit, & postulavit. Nam in Antidoto ad canonem 5, sessionis 6, hæc scribit: Quid ergo sibi vult Augustinus, cum de libertate voluntatis loquitur? nempe quod toties repetit, non cogi homines invicta Dei gratiã, sed voluntarios regi, ut sponte pareant ac sequantur. Et libro 2. in Pighium, editionis tertie Genevensis. Si coactioni (inquit) opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fatcor, & constanter assevero, ac pro Hæretico habeo, si quis secus sentiat: si hoc inquam sensu liberum vocetur, quòd non cogatur, aut violenter trahatur, sed sponte trahatur suã, nihil moror. Non negat ergo Calvinus in nobis rationem voluntarij, seu spontanei, sub tractu & motione efficaci divinæ gratiæ, sed tantum indifferentiam actualem, seu absolutam dissentendi ac resistendi potentiam. Hanc enim non solum rejicere, sed detestari etiam se dicit in responsione ad primum articulum de occultis Dei providentiã, ubi hæc scribit: Quod de absoluta potestate nugantur Scholastici, non solum repudio, sed etiam detestor. Unde Joannes Scaphius, famosus Calvinista, hanc esse totius Calvinisticæ sectæ opinionem, ac præcipuum controversiæ punctum, quò in materia de gratiã & libero arbitrio Calvinistæ differunt à Pontificiis, contendit in libello cui titulus est, *Tractatus de misero hominis statu sub peccato*. Nam lib. 2. de libero arbitrio cap. 1. sic ait: Differimus à Pontificiis. Illi ad liberum arbitrium constituendum aiunt requiri non tantum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate. Nos verò dicimus, necessitatem in agendo, liberum arbitrium non tollere. Et cap. 3. Status controversiæ inter nos & Pontificios est, sine homo post lapsum verè liberi arbitrij in iis rebus quæ pertinent ad salutem; & quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam præventivam excitatus, & à Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit non operari? Affirmativam partem inveniunt Bellarminus & Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. &c. Nos verò dicimus in homine post lapsum, Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas, Deum conversionem hominis volentem & operantem non sequi non possit, licet non coactè, sed sponte sequatur.

Idem videre est apud Molinæum in anatome Arminianismi, ubi indifferentiã liberæ voluntatis agnoscit in actionibus civilibus, item in honestis honestate civili, atque etiam in observatione Ecclesiasticæ disciplinæ: in actionibus verò malis, & in his bonis quæ ad vitam pertinent æternam, libertatem arbitrij eatenus salvat, quòd homines, est o necessario agant, agunt tamen cum ratione & iudicio

& iudicio, & sine necessitate coactionis; item sine necessitate physica, qualis est gravium & levium ad proprios motus. Idem docet in libro Gallico idioma scripto, cui titulus est, *Le bouclier de la Foy*, art. 9.

21. Subscribunt etiam alij Calvinistæ, ut Chamierus, Tomo 3. libro 2. cap. 1. David Pareus libro 5. de gratia & libero arbitrio cap. 4. Beza in libello quaestionum & responsonum Christianarum, editionis 3. Genevensis, anni 1576. pagina 600. ubi quaerenti Cathecumeno: *Vis igitur non repugnare libertati necessitate agendi?* Respondet, *Aperius dico, non necessitate, sed coactione demum tolli libertatem & contingentiam.*

22. Secundus error superioris affinis, & ab eo ut à fonte rivulus manans, in eo situs est, quòd Calvinus negaverit voluntatem hominis, in salutis suae negotio, excitanti & operanti Deo liberè cooperari. Impium hoc dogma tuetur libro 2. Instit. cap. 3. ubi & Catholicos ridet, quòd liberi arbitrij cum gratia concursum, ex hoc Sancti Pauli loco confirmant: *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Quem in errorem inductos fuisse ait ex praepostera versione, in qua graeci articuli vis omissa fuit, quæ si exprimitur, hunc sensum efficiet: *Non ego, sed gratia Dei, quæ mihi aderat.* Qua de re pluribus agit in Commentariis ad hunc S. Pauli locum.

23. Item libro 9. Instit. cap. 29. apud Stapletonium in antidoto, ad Rom. 9. hæc scribit: *Verè hic locum habet illud Pauli: Non est volentis neque currentis &c. non quomodo id vulgo accipiunt, qui inter Dei gratiam, hominisque voluntatem ac cursum partiuntur. Exponunt enim desiderium hominis, ac conatum nihil per se quidem habere momenti, nisi Dei gratiâ prosperentur, sed cum adjuvantur, illius benedictione habere suas quoque partes in comparanda salute contendunt. Quorum cavillum Augustini verbis refellere, quam meis malo. Si enim nihil aliud voluit Apostolus, nisi non esse solius volentis, aut currentis, nisi adsit Misericors Dominus; retorquere è converso licebit, non solius esse misericordiae Dei, nisi adsit voluntas & cursus; quod si aperit impium est, non dubitemus, Apostolum omnia misericordiae Domini donare, nostris autem voluntatibus aut studiis nihil relinquere.* Itaq; Calvinianum assertum est, omnia bona opera ita, Dei gratiâ movente & applicante, procedere, ut liberum arbitrium etiam motum & applicatum à gratia, nihil omnino operetur, nec divinae gratiæ cooperetur. Unde sicut dogma Pelagianum est, totum tribuere libero arbitrio, & nihil gratiæ: ita & Calvinii error est, totum gratiæ tribuere, & nihil libero arbitrio relinquere.

Hunc & præcedentem Calvinii errorem proficit Tridentinum, sess. 6. can. 4. his verbis: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti & vocanti quò ad obtinendam justificationis gratiam se disponat & præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.*

24. His ita breviter prælatis, facillimum erit pulsanti Adversario respondere, ac petita assignare discrimina. Primum igitur, ac potissimum, & quod est cæterorum fundamentum, jam ex dictis constat. Calvinus enim, & rigidi quos vocant Calvinistæ, docent divina prædefiniens aut prædestinantis Dei decreta, & adjuvantis gratiæ auxilia, ita esse efficacia, ut indifferentiam omnem humanæ voluntatis absorbeant, impostaque inelucta-

Tom. I.

A bili consentiendi necessitate, proximam dissentiendi potentiam consumant, solâ spontaneitate, seu immunitate à coactione, relicta. Thomistæ verò, quibus nullum est cum errore commercium, decreta & auxilia, quantumvis prædeterminantia, cum actuali indifferentia voluntatis, & dissentiendi potentia, ita componunt, ut hæc duo semper inter se conjungantur, gratia in voluntate, & in eadem voluntate sub gratia constituta, sufficiens non consentiendi potestas. Nec dubitant, quin hic sit verus Tridentini sensus, in his verbis, *potest dissentire si velit.* Hoc discrimen de verbo ad verbum ab Adversario desumptum, locis supra citatis, minimè ab ipso negari poterit, nisi & seipsum, & suam doctrinam abnegare velit.

B Thomistæ itaque in voluntate creata indifferentiam aliquam mediam agnoscunt inter strictam Calvinii necessitatem, & indifferentiam vagam, & effrænam Pelagij, nempe indifferentiam determinatione gratiæ temperatam: veritas enim, ut virtus, medium tenet, & inter duos errores, ut inter duos latrones Christus, pendet. Nam necessitas Calvinii, ita voluntatem ad unum constringit, ut nullam ad oppositum potentiam relinquat. Indifferentia verò Pelagij, ita effrænam voluntatem relinquit, ut nec ipsi Deo velit subijci, sed ita, ut sic dixerim, delicatula sit, ut nec ab ipso Deo tangi se sinat, & exclusa efficacis gratiæ motione, libertatis suæ jura, ut rectè dixit Augustinus, non nisi penè sacrilegio, & summa in divinam providentiam injuriâ, posse servare se putet, & audaci voce dicat, *non serviam.*

C Inter hos duos scopulos navigans indifferentia Thomistarum temperata, & à Calvinii, & à Pelagij erroribus longè recedit. Non tollit enim à voluntate creata absolutam dissentiendi potentiam, sicut inducta à Calvinio ineluctabilis operandi necessitas; non excludit etiam divinæ motionis, & efficacis gratiæ necessitatem, ut sacrilega Pelagij indifferentia; sed suavi quadam subjectione ad Deum, cui parere est summa libertas, ut ad primum liberum, & primum totius libertatis creatæ principium, temperatur. Quo fit ut Calvinus Deo tyrannicum ac violentum, Pelagius civile tantum & politicum, Thomistæ monarchicum ac regale dominium tribuant, quò Deum magis habere in sua potestate voluntates hominum, quàm homines ipsi habeant, cum Augustino profitentur.

D Alterum, & à superiori non omnino alienum, quod Thomistæ à Calvinio distinguit discrimen, petitur ex diversa sensus compositi & divisi intelligentia. Cum enim Hæretici divina decreta & auxilia, tantam, adeoque rigidam efficaciam habere putent, rejectâ omni voluntatis indifferentiâ, ita dissentiendi potentiam constringunt, ut non possit dissentire si velit, necessariâ ex eo errore consecutione deducunt; distinctionem sensus compositi & divisi, ita esse accipiendam, ut voluntatem non posse Deo moventi dissentire in sensu composito, sed tantum in sensu diviso, significet, voluntatem carere dissentiendi potentiâ, quandiu adest & perseverat divina motio in anima, hanc dissentiendi potentiam excludens; vel ut loquitur impius Lutherus in libro de servo arbitrio, *Donec durat Spiritus & gratia Dei in homine, sed solum quando illa abierit, vel abcesserit.* Vel ut ait Vincentius Lenis in Epistola Prodroma ad Petavium, *excusâ prædeterminatione, non retentiâ.* Quasi verò tunc possit gratiâ reverâ dissentire, cum adest, & mo-

V u



noni gratia resistere, cum nec etiam à gratia tangitur. Thomista verò, cum velint divina decreta & auxilia, ita regere voluntatem, ut potestatem, resistendi, seu dissentendi, non adimant; & ad sua principia consentaneè, & ad rectam fidem verissimè asserunt, voluntatem non posse Deo moventi dissentire in sensu composito, sed tantum in sensu diviso, denotare, quòd quamvis actualis dissensus cum divina motione ( utpote ab intrinseco efficaci, & infallibiliter inferente assensum) conjugi & componi nequeat: voluntas tamen, etiam ut gratia subest, ab eaque movetur, atque ad agendum applicatur, retinet absolutam dissentendi potentiam. Nam ut ait S. Prosper libro 2. de vocatione Gentium cap. 27. *Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam à perseverantibus illam mutabilitatem que potest nolle non auferat.* Vel ut scribit S. Thomas quaest. 23. de verit. art. 5. ad 3. *Quamvis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate; tamen potentia desiciendi effectum divinae voluntatis, simul stat cum divina voluntate: non enim sunt ista impossibilia. Deus vult istum salvari, & iste potest damnari, sed ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.*

27. Hoc Thomistica doctrina à Calviniana discrimen, passim exponunt Thomista, praesertim Bannez & Alvarez, duo praecipui physicae praedeterminationis, & gratiae per se efficaci defensores. Primus enim 1. p. quaest. 14. art. 1. dubio ultimo, sic praefatam distinctionem sensus compositi & divisi explicat: *Necessitas in sensu composito non est accipienda in illo sensu, quòd stante scientia Dei de Antichristo futuro, nulla maneat contingentia in causis que producturae sunt Antichristum, sed sint totaliter determinate ab ipsa scientia Dei, ut necessario producant Antichristum in tempore à Deo disposito: hic enim sensus est falsissimus, ET CONTRA FIDEM.* Secundus verò

Num. 34. lib. 2. responsionum cap. 1. *Sensus compositus (inquit) non est ille qui in argumento insinuat, quòd videlicet quando gratia efficax est in voluntate, non possit voluntas non agere actum illum ad quem determinatur; ablatà verò motione, possit non agere: HIC ENIM SENSUS CONFICTVS EVIT*

Num. 9. A CALVINO. Et iterum cap. 4. dicit, *Calvinus in eo deceptus est, quia putavit illam propositionem (liberum arbitrium motum à Deo gratia efficaci, non potest dissentire in sensu composito) nihil aliud significare, nisi quòd postquam iam gratia efficax in voluntate posita est, non possit liberum arbitrium dissentire ac refragari, ablatà verò motione possit. Et in hac significatione accipere videntur sensum compositum, qui nostram sententiam impugnant. Nos autem aliter intelligendum esse compositum sensum illius propositionis contendimus. Non enim per illam significatur, quòd quando est motio efficax in homine, tunc non possit dissentire, aut refragari, ablatà verò motione possit. Si enim hoc semel concederetur, absque dubio everteretur libertas arbitrii, nec posset per distinctionem illam sensus compositi & divisi, ejusdem arbitrii libertas concordari cum decreto absoluto voluntatis divinae praedeterminantis omnes actus bonos futuros, nec cum efficacia auxilii praeparantis gratiae. Sensus ergo legitimus illius propositionis in sensu composito accepta est: hac duo simul esse impossibilia, quòd nimirum auxilium efficax ad consentiendum sit in homine, & homo dissentiat. Quis ergo nisi sponte caecus, non videat doctrinam*

A Thomisticam toto caelo à Calviniana differre? Admitte-ne Calvinus legitimam hanc, quam ex Alvarez expendimus, sensus compositi & divisi distinctionem, quà unà SS. Patres & Theologi usi sunt ad conciliandam libertatem & contingentiam, cum praesentia Dei & efficacia divinorum decretorum? Voluit-ne, aut potuit capere, sensum compositum jungere actum actui, divinum autem jungere actum potentiae ad oppositum? Nonne dixit in Antidoto super 4. Canonem sessionis 6. hanc interpretationem esse *Sophistarum inventum?*

Hac duo Thomistica doctrina à Calviniana discrimina, adeo manifesta sunt, ut nec ipse Adversarius dissimulare potuerit: nam in libro quem edidit de libertate incoacta pagina 226. utramque differentiam his verbis expressit. *Quem inveniunt Ianseniani inter Thomistas, qui dixerit voluntatem divinam gratia praedeterminatam, carere proximam ad dissentendum potentiam? Quem dabunt qui distinctionem sensus compositi & divisi interpretentur, ut sensus sit voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio aberit, & advenierit alia? Quem ergo invenies pariter inter Thomistas, qui Calvinò & rigidioribus Calvinistis consentiat? Quem dabis qui à definitione Tridentini, quà dicitur liberum arbitrium à Deo motum posse dissentire si velit, aliquid deleri cupiat? Quem reperies qui solo modo loquendi, seu in usu tantum vocum (ut tuo verbo utar) à Calvinò differat, eadem existente amborum sententia?*

Tertium discrimen, etiam ex dictis apertum est, consistit enim in hoc quòd Calvinus & rigidiores Calvinista, negant voluntatem nostram in salutis negotio libere Deo cooperari, Thomista verò hanc liberam cooperationem admittunt; eamque volent esse effectum divinae gratiae, liberum arbitrium applicantis, ac facientis ut libere Deo cooperetur, juxta illud Augustini super Psalm. 77. *Deus cooperatorem sibi facit hominis spiritum in opere bonorum factorum, & istud D. Bernardi in libro de libero arbitrio, versus finem, Deus & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.* Idipsum disertè docuit olim Capreolus, antiquissimus Thomista, imò & Thomistarum princeps. Nam in 2. sent. dist. 28. quaest. 1. art. 3. ad 12. haec scripsit: *Non solum juvat nos Deus ab bonum velle, partialiter efficiendo, sed etiam quodam modo speciali, faciendo ipsam voluntatem partialiter concurrere: ita quòd ipsa voluntas partialiter concusat, applicata, & quasi instrumentaliter mota à Deo, ad sic partialiter concausandum.*

Constat itaque ex haecenus dictis, tria ex Thomistica libertatis tabella, Calvinum delevisse lineamenta; scilicet actuale voluntatis indifferentiam, seu absolutam dissentendi potentiam; veram & legitimam sensus compositi & divisi interpretationem; & liberam in salutis negotio voluntatis nostrae cooperationem. Addunt aliqui, nec immerito, etiam indifferentiam objectivam judicij Calvinum sustulisse, saltem implicite, virtualiter, & argutive, ut aiunt. Cum enim indifferentia judicij regula sit liberae operationis, & proxima radix indifferentiae voluntatis, hac indifferentia voluntatis sublata, illa pariter judicij indifferentia, argutive saltem, & per locum extrinsecum tollitur; unde in motibus primò primis, ac purè spontaneis, & non liberis, nulla praesupponitur in intellectu indifferentia

objectiva iudicij. Imò eam expressè negare videtur Calvinus libro 2. institut. cap. 1. ubi indicat necessitatem peccandi in nobis, illi similem quæ viget in Dæmonibus, vel in Deo se amante. At certum est neque in Deo iudicij indifferentiam præire suæ bonitatis amori, nec in Dæmone antecedere odium Dei ipsum torquentis. Ait etiam capite 4. voluntatem nostram moveri à Deo, sicut equus movetur à fessore: quò etiam exemplò, ab homine moto per gratiam, indifferentiam objectivam iudicij excludere videtur. Unicuique ergo, quod ut primum & rude aliis supponitur, in libertatis Thomistice tabella, reliquit Calvinus lineamentum, spontaneitatem scilicet, seu immunitatem à violentia & coactione, quam (ut supra ostendimus) in voluntate mota & excitata gratià efficaci non negavit.

ARTICVLVS III.

*Aliud discrimen à Patre Lemos adductum, refertur, & ab Adversarij censura & impugnatione vindicatur.*

31. **P**ostquam Adversarij §. 3. num. 111. Thomistica libertatis tabellam infidà manu expressit, omisrà actuali voluntatis indifferentià, seu absolutà dissentienti, vel non agendi potentià, quam ad veram humanorum actuum libertatem necessariam Thomistæ postulant; & postea quam ibidem interrogavit, quid ex illa tabella Calvinus delevisset? cui postulationi jam satis respondimus; numero sequenti refert quæ olim Pater Lemos in Congregatione de Auxiliis, coram Summo Pontifice Clemente VIII. dum hæc causa disceptaretur disseruit (errasse scilicet Calvinum, quòd non distinxerit necessitatem consequentis, quæ libertatem perimit, à necessitate consequentiæ, quâ nihil veræ libertati deperit) subditque, Calvinum hujus controversiæ iudicem vocans, Audiamus igitur Calvinum 2. inst. cap. 16. f. 9. *Interea quod statuit Deus, sic necesse est evenire, ut tamen neque precisè neque suapte naturà necessarium sit. Exemplum in Christi ossibus familiare occurrit. Cum induerit corpus nostro simile, fragilia fuisse ejus ossa, nemo sanus negabit, quæ tamen frangi fuit impossibile. Vnde iterum videmus, non remerè in scholis inventas fuisse distinctiones de necessitate secundum quid & absoluta, item consequentis & consequentiæ. En (inquit) ut Calvinus & distinctionem illam cognoscit quâ se Adversarij salvos putant, & juxta illam docet divinum decretum non insinuere necessitatem consequentis in actionem ex eo secutam, sed tantum necessitatem consequentiæ. Quæ doctrina, quomodo differat ab Adversariorum doctrina, in hunc modum argumentando querimus.*

*Necessitas consequentiæ, quæ excludit necessitatem consequentis, est necessitas non destruens, sed servans libertatem, ut loquitur P. Lemos: Necessitas quam Calvinus ex Dei decreto in nostras actiones derivari putat, est necessitas consequentiæ, quæ necessitatem consequentis excludit, ut jam visum est: Ergo necessitas quam Calvinus derivari putat in nostras actiones ex Dei decreto, non est destruens, sed servans potius libertatem.*

32. Antequam huic argumento respondeam, Lectorem præmonitum velim, verba illa quæ ex Calvinò refert Adversarij, eo loco quem ad marginem citat, nempe 2. instit. cap. 16. f. 9.

Tom. I.

A minimè haberi, sed Calvinum ibi de re omnino diversa loqui, nimirum de descensu animæ Christi ad inferos. Unde verisimile est, Adversarij oculis alienis legisse Calvinum, aut usum fuisse illis perspicillii, quibus videntur ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Neque enim dici potest esse errorem Typographi Tolofani, cum eadem citatio marginalis, in editione Parisiensi, ab Authore revisa & recognita, reperiatur.

Hoc præmissò, & dato verba illa alibi reperiri, non erit difficile argumento occurrere; promptissima enim est defensio in ea causâ, quæ Thomistas cum Ecclesiâ Patribus, ac Conciliis, ita conjungit, ut necesse fuerit, si hæc sententia censurâ digna sit, eadem cum Thomistis Patres censurâ notari. Priusquàm igitur hoc argumentum diluamus, ostendendum est breviter, distinctionem hanc necessitatis absolutæ & hypotheticæ, seu consequentis & consequentiæ, ita esse celebrem, & perantiquam, ut à Conciliis, SS. Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus, nec non antiquissimis Scholasticis, & Canonistis, ad explicandam concordiam nostræ libertatis cum divina præscientia, providentiâ, & prædestinatione, frequenter usurpata fuerit: quò fit, ut si valeret Adversarij argumentatio, aut esset Calvinus cum Patribus absolvendus, aut essent cum Calvino Patres proscribendi; liceatque ea Augustini verba quibus Julianum alloquitur, contra Adversarium usurpare: *Ostendam prius quantis & qualibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, nomine Martinianorum (& Calvinistarum) intolerabilem facere non cuncteris injuriam, & cum me appetis, in quos tua tela jaculeris &c.*

34. Occurrit ergo primò Concilium Colonienfe, quod contra Lutheranos celebratum fuit anno 1536. Illud enim non aliter contra illos Hæreticos, divinam præscientiam, & prædestinationem, cum humanorum actuum libertate conciliat, quàm hac celebri distinctione necessitatis absolutæ & hypotheticæ, seu consequentiæ & consequentis, ut videri potest in Enchiridio Christianæ institutionis, de Sacramento penitentia, ubi hanc distinctionem tradit & exponit, his verbis: *Duplex est necessitas, absoluta, quam vocamus necessitatem consequentis; veluti necesse est Deum esse, hominem esse animal rationale mortale, nam hæc aliter se habere nequaquam possunt. Alia est necessitas consequentiæ, quæ necessario evenire dicimus, non quæ suâ naturâ necessaria sunt, sed necessario sequuntur, propter præcedentes causas. Et per hanc distinctionem conciliat præscientiam & providentiâ Dei, cum libero arbitrio.*

Eadem distinctione utitur D. Augustinus, ut constat ex canone Nabuchodonozor, alias *vasis iræ*, §. *quamvis*, 23. quæst. 4. junctâ Glossâ ibidem. In ipso enim textu refert Gratianus ex Augustino, distinctionem necessitatis absolute seu simplicis, & necessitatis conditionatæ, quæ est eadem ac distinctio necessitatis consequentis & consequentiæ. Verba textus sunt: *Quamvis convenienter dicatur, si hæc prædestinata sunt, vel præscita, necessario evenient: non tamen ideo absolute verum est necessario evenient quæ prædestinata sunt vel præscita: quia hic necessitas refertur ad rerum eventum, ibi ad intuitum divina præscientia. Vnde juxta Augustinum, dua sunt necessitates, simplex una, veluti quæ necesse est omnes homines esse mortales: altera conditionis, ut si quem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est.*

Vu ij

quod enim quisque esse novit, id esse aliter quam notum est nequit; sed hac minime secum illam simplicem tradit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. In illa autem verba Glossa, verbo quamvis, hæc scribit: Ad hujus paragraphi intelligentiam nota quod omnes tales locutiones sunt duplices: si Deus prævidit aliquid, necessario illud eveniet; quia si hæc dictio (necessario) determinat totalem consequentiam, locutio est vera; & tunc talis est sensus in consequentia, si Deus prævidit aliquid, illud evenire est necessarium. Si autem hæc dictio (necessario) determinat ipsum consequens, est falsa. Et iterum. Nota quod talis argumentatio non valet, si Deus prævidit aliquid, necessario illud eveniet: Ergo si Deus prævidit aliquid, necessarium est illud evenire: quia modo hæc dictio (necessarium) non potest determinare ipsam consequentiam, sed tantum consequens.

36. Favet etiam Venerabilis Beda in Axiomatibus Philosophicis, littera O. ubi ait: *Omnia futura de necessitate evenient* 1. Per hiem. Verum est in sensu composito, non autem in sensu diviso. Vel verum est ex hypothesi, non autem simpliciter.

37. Celebris etiam & frequens hæc distinctio apud veteres Scholasticos fuit. Eâ utitur in terminis Scholasticorum Princeps & Coriphæus D. Thomas, quæst. 24. de veritate art. 1. ad 13, ubi ait: *Ex præscientia Dei non potest concludi, quod actus nostri sint necessarij, necesse est absolutâ, qua dicitur necessitas consequentis, sed necessitate conditionatâ, qua dicitur necessitas consequentia.* Et in 1. sent. dist. 47. quæst. 1. art. 1. ad 2. *Quamvis voluntas Dei sit immutabilis, & invincibilis, non tamen sequitur quod omnis effectus ejus sit necessarius, necessitate absolutâ, sed solum conditionatâ.* Item 1. parte quæst. 19. art. 8. sibi primo loco objicit dictum illud Augustini, *Nullus sit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari, & ideo rogandus est ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit.* Et respondet, quod per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absolutâ, sed conditionalis; necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si Deus hoc vult, necesse est hoc esse. Et in resp. ad 3. ait, *Ea que sunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum, & sic non omnia sunt necessaria absolutè.*

38. D. Thomæ concinit S. Bonaventura in 1. dist. 47. art. 1. quæst. 1. ubi quærit, *Utrum voluntas beneplaciti Dei possit impediri?* Et respondet, *Voluntatem absolutam necesse esse impleri, conditionalem vero minime.* Ac subdit: *Sed attendendum, quod est necessitas consequentia, sicut supra dictum est de præscientia; ipsa enim non habet necessitatem consequentis, sed consequentia, quia necessario inferitur, & sequitur, Deus præscit hoc, ergo hoc erit; sed tantum non necessario præscit, quia in actu præsciendi, frequenter notatur effectus contingens: sic in voluntate intelligendum est, quod voluntas Dei absolutâ connotat eventum rei, & ideo est ibi necessitas consequentia, sed non consequentis & c.*

39. Hanc D. Bonaventuræ doctrinam luculenter exponit Petrus Trigofius Cappucinus, in Commentariis super summam Theologiæ hujus Seraphici Doctoris, 1. parte quæst. 15. art. 2. dubio 1. conclus. 2. his verbis: *Effectus contingentes & liberi, si comparentur ad scientiam, providentiam, & voluntatem Dei, dicuntur necessarij secundum*

A quid, sive ex suppositione, qua necessitas vocatur conditionalis, & consequentia, non tamen absoluta, seu consequentis. Et assignat rationem: Quoniam iste consequentia sunt optima, Deus præscit hoc futurum, ergo hoc erit. Deus vult aliquid fieri, ergo fiet eo modo quo voluerit, & quando voluerit, quia non stat dari antecedens verum, & consequens falsum.

Eandem distinctionem & doctrinam tradunt Magister in 1. dist. 38. Albertus Magnus, Alensis, Scotus, Durandus, Ægidius Romanus, Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, aliique antiqui Scholastici, quos refert & citat Alvarez disp. 25. de Auxiliis.

B Vix tot Patrum, tot Scholasticorum testimonia obtinebunt ab Adversario, ut eam distinctionem, quam à Patribus Thomistæ acceperunt, sustinendam concedat; damnabitque potius totam antiquitatem cum Calvino, quam Calvinum à Thomistis sejunctum fateatur: adeo nihil est quod tenacissimum ingenium non tentet. Sed erit æquioris animi Lector, & quam merito Thomistæ hæc distinctione se salvos putent, cum tot & tales habeant suæ securitatis præfices ac fidejussores, facile perpendet. Nobis interim his Augustini verbis Adversarium compellare licebit. *Vide cum quibus sit mihi causa communis, quam nullâ consideratione sobriâ pulsare calumniis & expugnare conaris. Cerne quam tibi pernitiosum sit tam horribile crimen obicere talibus, & quam mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus & c. Iterum te admoneo, iterum te rogo, aspice tot ac tales Ecclesia Catholica defensores. Vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam, libro 1. contra Julianum cap. 4.*

C Sed propius ad rem, & in primis contendo, quod si Adversarij argumentatio contra Thomistas concludat, concludit doctrinam Conciliorum, Sanctorum Patrum, veterum Scholasticorum, & Canonistarum, à doctrina Calvini non discrepare, sic enim cum Adversario argumentando quæro. Calvinus ex Dei decreto non aliam in nostros actus liberos ex Dei præscientia & decreto inducit necessitatem, quam consequentia, & secundum quid, teste P. Annato, ubi supra: Sed eandem necessitatem Concilia, SS. Patres, antiqui Scholastici, & Canonistæ, docent in actus humanos derivari ex Dei præscientia & decreto, ut constat ex testimoniis jam adductis: Ergo Concilia, SS. Patres, & antiqui Scholastici, eandem quam Calvinus asserit necessitatem, ex Dei præscientia, & decreto, in actus humanos derivari existimant.

D Vel iterum, ut eandem formam & seriem verborum, quâ Adversarius contra hos utitur, usurpem. Necessitas consequentia, quæ excludit necessitatem consequentis, est necessitas non destruens, sed servans libertatem; ut docent Concilia, SS. Patres, antiquiores Scholastici, & Canonistæ, supra relati: Necessitas quam Calvinus ex Dei decreto in nostras actiones derivari putat, est necessitas consequentia, quæ necessitatem consequentis excludit, inquit P. Annatus ubi supra: Ergo necessitas quam Calvinus derivari putat in nostras actiones ex Dei decreto, non est destruens, sed servans potius libertatem.

E Vides ergo (Amice Lector) quod tendat tota hæc Adversarij ratiocinatio. Puto quod eum animi sui & ingenij impetus, ultra quam voluisset impulerit: ad hoc enim demum hæc argumen-

ratio pervenit, ut aut Calvinum ab errore absolvi, aut Concilia, SS. Patres, & antiquos Scholasticos, & Canonitas, simul cum illo damnari necesse sit. Sanè potiori jure quam de Salmanticensibus Adversarius dixerit, reponam, quòd dum Thomistas incautiùs infectatur, Calvinum absolvit à magna sui erroris parte, & D. Thomam, S. Bonaventuram, & omnes ferè antiquos Scholasticos, ipsumque demum Augustinum accusat, illosque Calvinistis consentientes facit, ut meritò illis gratulari possimus, quòd aliquando etiam Jesuitas propitios habeant, & tentatum à Jesuitis, quòd sui non tentassent, Calvinum scilicet, vel invitum, cum Patribus componere.

Disp. 3.  
cap. 4.  
§ 5.

44. Neque verò respondere Adversarius potest, Concilia, SS. Patres, & antiquos Scholasticos, locis suprà relatis, non loqui de necessitate consequentiæ orta ex decreto Dei, sed de illa tantum quæ sequitur ex ejus præscientia. Nam (præterquam quòd eadem est ratio de præscientia & decreto, cum scientia Dei libera, quæ approbationis dicitur, ut applicata per decretum, sit causa rerum, juxta SS. Patres disp. 3. relatos) hæc responsio aperte repugnat testimonio quæ adduximus. Nam Concilium Colonienſe dicit necessitatem consequentiæ eam esse, quæ necessariò evenire dicimus non quæ suâ naturâ necessaria sunt, sed necessariò sequuntur, PROPTER CAUSAS PRÆCEDENTES, inter quas divina voluntas præcipuè numeratur, cum juxta Apostolum, Deus operetur omnia juxta consilium voluntatis suæ. Unde Gratianus loco citato ait: *Quamvis convenienter dicatur, si hæc PRÆDESTINATA SUNT, vel præcisa, necessariò evenient &c.* Item D. Thomas asserit hanc conditionalem esse veram: *Si Deus hoc vult, necesse est esse.* Et D. Bonaventura docet, quòd sicut ex Dei præscientia, ita & ex ejus voluntate, infertur necessitas consequentiæ, sed non consequentis. Ejus etiam Commentator ait, quòd effectus contingentes & liberi, si comparentur ad scientiam, PROVIDENTIAM, ET VOLUNTATEM DEI, sunt necessarij necessitate conditionali, & consequentiæ, non tamen absolutâ, & consequentis. Ergo prædictâ responsione non potest Adversarius eludere vim argumenti propositi.

45. Ad testimonium verò Calvinii, cui P. Annati ratiocinatio innititur, dupliciter responderi potest. Prima & verior responsio est, quòd apud Hæreticos solemne & frequens est, Calvinum minimè sibi constare, sed sibi apertissimè contradicere. In primis enim libro 1. insit. cap. 3. §. 5. hæc scribit: *Porro quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate trahi vel duci, mirum est si cui videatur aspera locutio, qua nec absolum habet quidpiam, nec à Sanctorum usu aliena est. Offendit autem eos qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt. At si quis eos interroget, an non Deus necessariò bonus sit, an non diabolus necessariò malus, quid respondeant? sic enim annexa est Dei bonitas cum divinitate, ut non magis necessarium sit ipsum esse Deum, quam esse bonum: Diabolus autem per lapsum, sic ab omni boni communionem alienatus est, ut nihil quam malè agere possit. Quòd si quis sacrilegus obganmat, Deo parum laudis ex sua bonitate deberi ad quam servandam cogatur, cui non erit prompta responsio, immensâ ejus bonitate fieri ne malè agere possit, non violentâ impulsione. Ergo si liberam Dei voluntatem in bene agendo, non impedit quòd*

Tom. I.

A *necesse est ipsum bene agere: si diabolus qui non nisi malè agere potest: voluntate tamen peccatis quis hominem idè minus voluntariè peccare dicit, quòd sit peccandi necessitati obnoxius? Quibus verbis contendit, tam hominem divinâ gratiâ ad bene agendum excitatum, necessariò agere, quam necessariò Deus bonus est: tam hominem ad malè agendum, & ut alibi dixit, ad perpetranda facinora impulsum, malè agere, quam necessariò diabolus malus est. Quis verò dixerit, eam esse solùm necessitatem consequentiæ, quâ Deus bonus est, aut diabolus malus? Non puto Adversarios concessuros. Constat igitur Calvinum admisisse quòd divina motio & decretum, non solùm necessitatem consequentiæ, sed & consequentis in actus humanos inducit.*

B Deinde, unum ex præcipuis Calvinianæ doctrinæ principiis est, divina decreta & auxilia ita esse efficacia, ut omnem voluntatis indifferentiam absorbeant, & absolutam dissentienti potestiam excludant: imò in hoc (ut passim docet Adversarius in libris quos adversus Jansenianos edidit) consistit totius hæresis Calvinianæ, in materia de gratiâ & libero arbitrio, summa. Ex hoc autem principio erroneo manifestè sequitur, ex Dei decreto, non solùm necessitatem consequentiæ & hypotheticam, sed etiam consequentis & absolutam, in actus humanos induci. Sic enim arguo. Necessitas quæ omnem voluntatis indifferentiam, & absolutam dissentienti seu non operandi potestiam tollit, est necessitas absoluta & consequentis, & non solùm hypothetica & consequentiæ, consentientibus omnibus Theologis: Sed Calvinus docuit ex divino decreto oriri necessitatem quæ tollit omnem voluntatis indifferentiam, & absolutam dissentienti potestiam, solamque spontaneitatem, seu immunitatem à coactione relinquit, ut constat ex locis suprà adductis, & fatetur ipse Adversarius: Ergo Calvinus re verà ex divino decreto necessitatem non solùm consequentiæ, seu hypotheticam, sed etiam consequentis, sive absolutam, induci putavit.

C Itaque cum solùm consequentiæ necessitatem ex divinis decretis oriri dicit, locò ab Adversario allegatò, ludit verbis, illudique Lectoribus, sibi que manifestè contradicit. Unde Jacobus Gualterius Jesuita, in Anatome Calvinismi, ducentis dilemmatibus ex ejusdem Calvinii principiis, vel assertionibus, magna ex parte desumptis, omnes ejus hæreses eliminat. Quòd idem facit Nicolaus Romanus in libro qui inscribitur, *Calvini effigies*, spectaculo nono & decimo, quorum titulus est, *Calvinus sibi discolor*, ubi ostendit, librum institutionum Calvinii esse centonem contradictionum, numeratque viginti primarias, & plusquam sexcentas consecutivas.

D Certè sincerior est & candidior Lutherus, & magis ad suum errorem consequenter loquitur, dum in libro de servo arbitrio, distinctionem hanc, ut merum phantasma, & inutile figmentum irridet. *Senserunt*, inquit, *Sophiste* (sic Catholicos Doctores appellat) *vim involtam & insustentabilem hujus argumenti, idè finxerunt necessitatem consequentiæ & consequentis, sed quàm nihil hoc figmentum efficiat. Suprà docuimus. Et post pauca. Necessitas verò consequentiæ, quâ illi se solantur, MERUM PHANTASMA EST.*

Vu iij

Accedit etiam quod Driedo, Doctor Lovanienſis, & acerrimus Calvinistarum impugnatore, relatus à Joanne à S. Thoma, profitetur quòd ſemper Hæreticus hanc negavit diſtinctionem, per quam omnia Hæreticorum ſophiſmata diluuntur.

Tomo 7.  
ſec. 1. p.  
diſp. 20.  
art. 7.

48. Mirum ergo eſt, quòd Adverſarius adeo in Thomiſtis obſervandis oculatus, ut videat quæ non ſunt: minimè tamen adverterit, quàm varium ac verſatile ſit ingenium Calvini, eadem prohibito & negantis & aſſerentis in hac quæſtione de gratia. Et major admirationis ratio accedit, quòd hanc animi inconstantiam, circa eandem diſtinctionem neceſſitatis abſolutæ & hypotheticæ, conſequentis & conſequentiæ, Twiſſio Calviniſtæ, & Calvini (ut ipſe putat) veſtigiis inhærenti, impropetaverit; eumque non injucundè Morioni cuidam comparaverit, qui ſe Catholicum & Huguenotum, alternis vicibus fatebatur. Verba ejus, quia elegantiffima & lepidiffima ſunt, placet hîc tranſcribere. *Memini* (inquit) *me viſiſſe olim Morionem in aula viri nobilis, à quo cum peteretur, an eſſet Huguenotus? Reſpondebat, minimè: Catholicus ergo? Ita inquit. Rurſus inverſa ſtatim interrogazione, cum urgeretur, an eſſet Catholicus? Minimè verò inquit. Huguenotus igitur? Ita eſt. Vide, Lector, quantum ab eo diſtet Huguenotus iſte Leonardienſis: à quo ſi peto, an debeat aliud decretum admitti circa liberos actus, quam quò ſalvetur eorum libertas? Non debet inquit. Nullam ergo decretum hoc imponere debet neceſſitatem? Reſpondet, nullam. Rurſus interrogo, num incertum eſſe poſſit hoc decretum & fallibile? Dicit non poſſe: Ergo inquam imponit aliquam neceſſitatem? Reſpondet, imponit etiam multiplicem. Porro neceſſitas illa nunquid eſt atemperata & congruens create libertati? Prorſus ita eſt, inquit, & ideo eſt neceſſitas modalis. Sed ille modus diminuet fortaſſe vim voluntatis? Eſt modus (inquit) qui vocatur irrefiſſibiliter. Placet conſulere libertati creatura? Eſt neceſſitas hypothetica & conditionalis. Non placet? Eſt abſoluta. Si lubet, & ita commodum eſt, eſt neceſſitas ſecundum quid: ſi ſecus, eſt neceſſitas ſimpliciter. Denique Twiſſius minimè malus, utpote novæ legis Apoſtolus, omnibus omnia factus eſt, ut omnes ludos faciat.*

Diſp. 1.  
cap. 6.  
ſ. 1.

49. Laudo fanè & gratulor Adverſario non deeſſe eloquentiam, quâ Hæreticos exagitet, & quâ Twiſſium ad omnem auram pro commoſo ſuo vertibilem, lepidè laceſſat & fugillet. Sed cur amabo eandem animi inconstantiam circa eandem diſtinctionem in Calvino non advertit, lynceus Diſcipulo, & cæcus Magiſtro? Cur, inquam, manifeſtam in Calvino contradictionem docente divina decreta imponere & non imponere neceſſitatem, diſſimulat, quam improperat Twiſſio? Non error eſt niſi quem certa voluntas, & Thomiſtas laceſſendi ſtudium facit; neque virum perſpicacis adeo ingenij, & qui etiam in Thomiſtis, ea quæ non ſunt, ſcilicet hæreſum ſordes, videt; inadvertentiæ accuſandum puto, ſed calliditatis, & non ſatis ſinceræ fidei, quam ſub illo adverſantium verborum conflictu latitantem, fortè minùs cautis occultaret. Negat igitur eam ſe in Calvino contradictionem detexiſſe: quâ mente? quia ſi fateretur Calvinum admiſiſſe neceſſitatem conſequentis, non poſſet Thomiſtis cum Calvino conſenſionem in ea parte imponere, cum eam conſequentis neceſſitatem ubique Thomiſtæ negent. Sed quia Twiſſius

A diſtinctionem illam D. Thomæ amplectebatur, dicebatque Deum neceſſario quidem cum cauſis neceſſariis, unde neceſſitas abſoluta & conſequentis dicitur; liberè verò cum liberis agere, unde modalis ſolum, hypothetica, & ſecundum quid, neceſſitas appellatur, quæ eſt neceſſitas conſequentiæ, voluit pugnantem ſecum Twiſſium oſtendere, ut à Twiſſio in Thomiſtas accuſatio reſiliret, & eadem contradictione, Divi Thomæ & Thomiſtarum doctrinam involveret.

Cæterum eadem arte ac figurâ, quâ D. Thomæ & Diſcipulorum ejus doctrinam, ut ſibi contradicentem traducere molitus eſt, ejus contradictiones, & à ſeipſo diſſidia, nobis etiam liceret exprimere, illumque iſdem quæ nobis tendit rebus implicare; niſi ſuprà articulo primo, multiplicem in eo diſſidentium verborum & cogitationum pugnam oſtendiſſem. Unde ad inſtitutum redeo, & rurſus dico, Calvinum ſcripiſſe pugnantia, dum ex una parte docuit talem eſſe divinatorum decretorum efficaciam, ut omnem voluntatis indifferentiam, ac diſſentiendi potentiam excludant; & ex alia aſſeruit ex Dei decreto, ſolam neceſſitatem conſequentiæ, & non conſequentis, in actus humanos derivari: ſublata enim voluntatis indifferentiâ, & diſſentiendi poſtate, relinquuntur in ejus actibus neceſſitas conſequentis & abſoluta, ut iſtis etiam Novitiis & Týronibus compertum eſt.

Sed demus etiam Adverſario, & effuſâ ſupra verum charitate, ei concedamus, nullam in his Calvini dictis eſſe diſcordiam, nullam in eo diſſidentium cogitationum pugnam; attamen celebrem hanc diſtinctionem neceſſitatis conſequentiæ & conſequentis, longè aliter Calvinus uſurpavit ac Thomiſtæ; ſubindeque eos ejuſdem diſtinctionis diverſa intelligentiâ, ſatis ſuperque diſtinguit. Thomiſtæ enim neceſſitatem conſequentiæ eam eſſe dicunt, quâ conſequens ita inſallibiliter ſequitur ex antecedenti, ut abſolutè non ſequi, & oppoſitum contingere poſſit; ut ſi Deus prædeſtinavit Petrum, inſallibiliter gloriam conſequetur; ſi vocet Paulum vocatione efficaci, inſallibiliter conſentiet; inſallibilitas enim horum effectuum, quæ ex divina voluntatis efficaciâ oritur, non tollit (in ſententia Thomiſtarum) facultatem & potentiam ad oppoſitum. Calvinus verò hanc neceſſitatem conſequentiæ appellavit, quæ ex divino decreto, ſeu ex divinæ voluntatis efficaciâ conſequitur; quamvis diſſentiendi, ſeu non operandi potentiam in voluntate non relinquat. Conſequentis verò neceſſitatem, ſeu abſolutam, eam tantum eſſe voluit, quæ oritur ex natura rei, vel ex influxu ſyderum, qualem olim Stoici & Manichæi ſingebant. Neque aliena à mente Calvini hæc interpretatio exiſtimanda eſt: ſic enim ſatis aperte mentem ſuam declarat, loco ab Adverſario allegato; & ipſa ejus verba hanc explicationem ultro offerunt, dum ait: *Interea quod ſtatuit Deus, ſic neceſſe eſt evenire, ut tamen neque præciſè, neque ſuapte natura neceſſarium ſit &c. unde videmus non temerè in Scholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum quid & abſoluta, item conſequentis & conſequentiæ.* Hæc enim verba (neque præciſè, neque ſuapte naturâ) non obſcurè ſignificant, hunc Hæreticum, per neceſſitatem conſequentis & abſolutam, eam tantum intellexiſſe, quæ oritur ex ipſa natura rei, ad bonum, vel ad malum determinata, qualem ponebant olim Manichæi: per neceſſitatem verò

50.

consequentia, illam quæ non ex natura rei, sed ex divino decreto dimanat, quamvis indifferentiam voluntatis, & dissentendi potentiam absumat, qualem nec Stoici ipsi negassent à fato relinqui.

51. Tres igitur sunt necessitates erroneæ, & libero arbitrio repugnantes: Stoica scilicet, seu Fatalis, Manichæa, & Calvinistica; quæ in hoc uno omnes conveniunt, quod qualibet illarum tam arcta est, tamque validè hominem in operando ad unum constringit, ut facere non possit oppositum illius ad quod per illas determinatur: differunt verò invicem, penes causam seu originem à qua procedunt. Stoici enim necessitatem in fatum reducebant, quo fati nomine, seriem inevitabilem causarum naturalium, & præcipuè cælorum influxum intelligebant. Unde hæc Stoicorum vox (ut refert D. Thomas quæst. 6. de malo art. unico) *Talis est voluntas in hominibus, qualem induxit pater virorum, deorumque*, id est cælum, vel Sol, ut ibidem explicat S. Doctor. Manichæi verò necessitatem ingenitæ & naturali malitiæ animæ tribuebant, quæ ita animam hominis bonam, vel contagione inficeret, vel vi abriperet, ut non sineret nisi malum velle. Sed Calvinista demum necessitatem nostrorum actuum, ad causam increatam, videlicet efficaciam divinæ voluntatis decretum, referunt. Unde Calvinus 1. Instit. cap. 16. sect. 8. sic loquitur. *Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus: tum quia est ex eorum genere quorum prophanas novitates refugere nos Paulus docet, tum quia ejus odio conantur gravare Dei veritatem. Dogma verò falsò ac malitiosè objectatur, non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, qua in natura contineatur: sed Deum constitutum arbitrium ac moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit quid facturus esset, & nunc sua potentia quod decrevit exequitur.*

52. Quare totum hunc articulum concludo eo Syllogismo cujus majorem propositionem suggerit P. Lemos apud Joannem à S. Thoma. Si Calvinus verè ac sincerè, sine dolo, & sine repugnantia ad sua principia, doceret ex divino decreto non aliam in actus humanos induci necessitatem, quam consequentiæ, non erraret, sed verè doctrinam Catholicam teneret: At Calvinus non docet verè & sincerè, sed cum dolo & repugnantia ad sua principia, ex divino decreto, non aliam quam consequentiæ in actus humanos induci necessitatem, ut pluribus ostensum est: Ergo Calvinus errat in materia libertatis, nec Catholicam doctrinam sequitur.

53. Ex quo intelliges, quam perspecta fuerit doctrina Calvinii P. Lemos, homini licet Hispano, in Hæreticorum tamen doctrina versatissimo, & quam verosimillimum sit quod narrat Joannes à S. Thoma, quod cum perorasset, ita conticuit Cardinalis Peronius à quo fuerat interruptus, ut etiam annuere visus sit. Quin etiam hoc quoque addendum est, quam incognita sit doctrina Calvinii P. Annato, & quam non solum improbabile, sed & protus repugnans sit quod asserit, Calvinum libertatem indifferentiæ, ac dissentendi motioni divinæ gratiæ potestatem abstulisse, & nihilominus non aliam quam consequentiæ, quæ libertatem non destruit, in actus humanos induxisse necessitatem. Quam etiam injusta sit defensorum scientiæ mediæ petitio,

A quia cum aperta adeò, ac cuilibet, etiam minus perito & tyroni, obvia Thomistarum inter & Calvinii doctrinam discrimina sint, in ea præcisè dubitatione quæ petitur, sit-ne aut non sit in homine liberi arbitrii usus aliquis, adhuc ea quarunt, aut querere simulant.

B Intelliges demum, quam bellè Adversarius disp. 1. cap. 1. libri de scientia mediæ dixerit, quod *scientia mediæ magnas habet opportunitates*: hominum enim fortem ac fidem domesticâ utilitate metitur; & pro varia rerum, temporum, occasionum, & utilitatum combinatione, Thomistas (quamvis antiquæ suæ doctrinæ mordicis adherentes, & immobili stabilitate fixos in fide) modo hæreticos, modo orthodoxos prædicat, ut causæ suæ viderit expedire.

## ARTICVLVS IV.

## Corollaria seu illationes præcedentis doctrine.

55. Facilis est veritati aditus, quò sese ab eorum manibus subducatur, quibus injustè vexatur, eludatque non fugâ, sed exitu eorum conatus. Plures aliæ Thomistarum responsiones sunt, quæ cum iis quas jam fati defendimus, solo loquendi modo discrepant, & eadem facilitate à censura & impugnatione Adversarij defenduntur. Altera igitur est quam ex Joanne à S. Thoma P. Annato refert num. 113. Calvinum scilicet errasse, eò quod posuerit decretum prædeterminans voluntatem, sed extinguendo & non servando libertatem, seu (ut alij dicunt) posuisse decretum, quò voluntas ad necessariò non ad liberè agendum impelleretur, & non differre à decreto Thomistarum, quò non extinguit, sed causat, & fovet libertatem, nec ad necessariò, sed liberè agendum impellit. Ad idem pertinet quod ex Thomistis alij dicunt, decretum prædeterminans Calvinisticum, attingere solum substantiam nostrorum actuum, & non curare de modo libertatis: prædefinitiones verò quas docent Thomista, ad utrumque se extendere, nec solum substantiam, sed etiam modum libertatis, in nostris actibus efficere.

D Satis ex jam probatis hoc discrimen Thomistarum inter & Calvinii sententiam, velut corollarium consequitur; libertas enim, seu modus libertatis, in Thomistarum sententia, tria includit, unum ex parte intellectûs, indifferentiam scilicet objectivam judicij, & duo ex parte voluntatis, nempe immunitatem, tum à coactione, tum à necessaria determinatione ad unum: id est spontaneitatem, & actualem voluntatis indifferentiam, seu potentiam ad oppositum: Ergo idem est dicere, Calvinum errasse in eo quod posuit decretum prædeterminans, non servando libertatem, vel decretum non attingens modum libertatis, ac asserere illum esse hæreticum, eò quòd actualem voluntatis indifferentiam, seu potentiam ad oppositum, in voluntate prædeterminata negaverit: in quo (ut fatetur Adversarius locis suprâ relatis) totius Calvinistici erroris summa consistit.

E Nec verò in hoc est, ut ipse putat, ineptus aliquis verborum circulus: etenim cum à Thomistis quæritur, quid sit actionem ut liberam, seu cum modo libertatis, prædefiniri? Respondent facilè, esse voluntatem sic agere, vel sic agendum impelli, ut sub divina motione, non solum

spontaneitatem, seu immunitatem à coactione, A sed etiam actualem indifferentiam, & proximam dissentendi potentiam retineat & conseruet; quod tantum à Calvino Thomistas sejungit, quantum ab errore veritas sejuncta est. Certe tota potius Adversarij argumentatio, inepto quodam verborum circulo & voluitur & revolvitur super hæc duo falsa principia, quæ semper supponit, & nusquam probat. Alterum; Thomistas ad humanorum actuum libertatem, duo tantum requirere, nempe indifferentiam judicij, & immunitatem à coactione: alterum verò, Calvinum solam necessitatem consequentia, & non consequentis, ex divinorum decretorum efficacia in actus humanos induxisse; quæ duo quantum à veritate distent, jam satis probatum est. Unde non habet magnam vim, & in levissimum fumum resolvitur ejus argumentatio, dum sic discurret num. 116. *Prædefinitio actuum elicendorum. stante indifferenti ex parte intellectus propositione objectorum circa quæ illi actus versantur, est prædefinitio actuum ut liberorum, seu cum modo libertatis, juxta Thomistas: Sed prædefinitio Calviniana est prædefinitio actuum, stante indifferenti ex parte intellectus propositione objectorum circa quæ illi actus versantur; ille enim nullo unquam loco negavit indifferentem illam objectorum propositionem: Ergo prædefinitio Calviniana, est prædefinitio actuum ut liberorum, seu cum modo libertatis, qualem docent Thomista.*

58. Huic enim argumento, quod ita à veritate deviat, ut & Major & Minor falsæ sint, dupliciter respondetur. Primò itaque Majorem negant Thomistæ, eâ præcisione sumptam, ut prædefinitio quæ nihil aliud, præter propositionem indifferentem objecti assertit, sit actuum liberorum prædefinitio, juxta Thomistas; millies enim dictum est, ad prædefinitioem actuum liberorum, seu cum modo libertatis, præter indifferentiam objectivam judicij, ex parte intellectus, actualem indifferentiam, seu absolutam dissentendi potentiam, ex parte voluntatis, juxta Thomistas, requiri. Cum eam igitur Calvinus supra relatus, non solum ut inutilem repudiet, sed etiam ut monstrum detestetur; manifestum est Calvinum Thomisticam actuum liberorum prædefinitioem minime admisisse.

59. Sed præterea Majori propositioni falsæ, etiam Minor propositio, ut rectè cohæreant, falsâ subjicitur. Negatâ itaque Majori, iterum Minorem nego. Calvinus enim (ut supra art. 2. ostendimus) negavit in homine moto per gratiam indifferentiam objectivam judicij; & quamvis eam expressè & formaliter non negasset, illam tamen sustulit implicitè, virtualiter, & in actu exercito, eo ipso quod docuit, voluntatem à Deo moveri solum spontaneè, & non liberè, sicut bruta incitantur ad pabulum, vel sicut equus movetur à fessore: sublatâ enim voluntatis indifferentiâ, arguitivè, & per locum extrinsecum, indifferentia objectiva judicij tollitur; cum repugnet intellectu esse indifferentiam objectivam judicij, & in voluntate solam spontaneitatem, seu determinationem ad unum per modum naturæ, ut supra ostensum est. An verò non potuerit Calvinus contra rationem errare, qui erravit contra fidem? Duplici errore, ut sæpiùs diximus, & malus Philosophus, & pejor Hæreticus peccavit. Contra fidem, negando in voluntate libertatis indifferentiam. Contra rationem, dum admittens in intellectu indifferentiam judicij, indifferentiam

quæ necessariò sequitur in voluntate negavit.

Consequitur iterum ex dictis, Calvinum crassa & aperta contradictione semetipsum implicasse, & à principijs positis recessisse, dum docuit lib. 3. Instit. cap. 23. Deum prævidisse lapsum Adami, quia decreto suo sic ordinarat, illumque non modo primi hominis casum prævidisse, sed & arbitrio quoque suo id dispensasse. Quæ enim ratione hoc cohæreat cum eo principio quod aliàs toties statuit, nulla fuisse in statu innocentia efficacia decreta? Etenim si nulla pro eo statu decreta efficacia fuerint, non potuit in aliquo decreto casum Adami dispensasse, hoc enim decretum esset efficax. Quod si decreto efficaci Adami lapsum dispensavit: Ergo pro eo statu decreta efficacia sunt. Sanè non componeret Calvinus hæc duo principia, licet ad excogitandam concordiam, totius orbis ingenia vocaret. At verò quod negaverit Calvinus pro statu innocentia decreta efficacia, notissimum est, & multis ostendit P. Dechamps, novissimus Societatis scriptor, lib. 1. de Hæresi Janseniana cap. 3, ubi notat Calvinum plus vicies negasse auxilia efficacia (quæ decretorum efficacium executiones sunt) in statu innocentia; voluitque (quod Augustini esse putavit) Adamum in eo statu habuisse solum auxilium sine quo non, seu purè sufficiens, subditum ejus libero arbitrio, quantum ad efficaciam & usum; nos autem in statu naturæ lapsæ recipere ex meritis Christi adjutorium quò, sive efficax, quod necessitate voluntatem ad agendum, omnemque ejus indifferentiam ac dissentendi potentiam absorbet. Imò hoc uno ferè argumento, Tridentini decretum quò statuitur hominem prævenienti gratiæ dissentire posse, si velit, oppugnat.

Rectè igitur P. Lemos (referente Joanne à S. Thoma) Cardinali Perronio in Congregatione de auxiliis respondit, quòd Calvinus aliter locutus est de Adam ante peccatum, & aliter de homine post peccatum. De Adam enim ante peccatum dixit habuisse libertatem, nec Deum determinasse quid esset acturus &c. Hæc enim est apertissima Calviniana doctrina libro 2. Instit. cap. 3, ubi ait: *Voluntatem movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare, sed cum suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit & possit; quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis imperitur. Quare immeritò responsum P. Lemos reprehendit & fugillat P. Annatus, & virum sapienissimum, quem scholasticarum quaestionum nihil latebat, in doctrina Calviniana peregrinum dicit, utpote *Hominem Hispanum, qui aetatem contriverat in umbra scholarum & pace, sine ullo cum Hæreticis commercio.* Imò certe Jesuita Gallus, inter ipsos Hæreticos degens, & hoc Calvinianæ doctrinæ principium ignorans, Hispano Dominicano cessit, & laudem omnem detestæ hæresis reliquit viro, qui in umbra Scholarum & pace, sine ullo cum Hæreticis commercio, hæresis tamen omne venenum detexit.*

## ARTICVLVS V.

*Responſio ad teſtimonia Calvinistarum ab Adverſario objecta.*

Quid non in desperatæ causæ patrocinium tentavit Adverſarius, cælo terræque evocatis copiis in nos insurgens? Infelici glutine, Patribus Hæreticos; Orthodoxis molles, rigidisque Calvinistas atrox; illudque furentis Deæ, cum Poëta, exclamasset dixeris,

*Electere si nequeo Superos, Acheronta movebo.*

Verùm inter extremos æstuantis animi impetus moderatur Juno: ab Jove siquidem initium belli auspiciatur, advocatque primò in patrocinium suum cæleste numen; nec nisi subtrac̄to hoc iuvamine, interpellat Acherontem. Acheronti primas detulisse videtur Adverſarius: nam Molinæum, Amesium, Twissium, similesque ultimæ pravitatis Novatores, & inferni satellites ac ministros, supplex sibi pugna in Thomistas patronos primò asciscit; nec nisi negato aut evacuato futili hoc auxilio, cælos pulsât, vocatque ultimos desperatæ causæ suæ protectores, licet invitos, Waldensem, Bellarminum, Perronium, Sotum, viros inclitæ fidei, consummateque sapientiæ, nulloque jure Hæreticis non dico postponendos, sed nec componendos, maximè à viro Catholico & Religioso.

Objicit ergo primò iudicium Petri Molinæi, qui in Anatomie Arminianismi, dum explicat quinam sint illi Pontificij, qui suæ, hoc est Calvinianæ doctrinæ, repugnant, eos esse dicit qui Pelagianismum ita interpolant, sicut Arminiani Papismum. Unde cum Arminiani in materia de gratia & prædestinatione, Molinæ & Jesuitarum doctrinam sequantur, concludit Adverſarius: *Quis non videt Papismum, hoc est non Calvinismum, converti cum doctrina Jesuitarum? subindeque Thomistarum doctrinam adversam, ad non Papismum, seu Calvinismum pertinere.*

63. Verùm non habet magnum pondus ab Hæretici auctoritate petita argumentatio: quid enim si respondeam, *nusquam tuò credi iis hominibus, qui Deo credere noluerunt.* Agnoscat hæc verba, & probabit forsitan Adverſarius quæ scripsit disp. 1. cap. 1. libri de scientia media. Sanè non posset esse iniquior Catholicorum conditio, quam ut Hæreticos, qui fidem omnem & æquitatem abjecerunt, iudices haberent.

64. Secundò, si hoc Molinæi testimonium vim aliquam habeat, non minùs Adverſarijs quam Thomistis negotium facisset. Nam Arminiani non solum rejiciunt prædefinitiones absolutas, & à prævisione scientiæ mediæ independentes, sed etiam prædestinationem gratuitam, & præscientiam meritum antecedentem. Ergo si quidquid Arminiani docent in materia de gratia & prædestinatione, ad Papismum pertineat, & oppositum ejus ad Calvinismum, illud etiam consequitur, doctrinam de gratuita prædestinatorum electione, ad non Papismum, seu ad Calvinismum pertinere: quod quam temerarium esset asserere, facillè Adverſarius advertet ex his quæ de prædestinatione gratuita Bellarminus dixit libro 2. de gratia & libero arbitrio cap. 11. *Hæc (inquit) sententia, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesie Catholice dici debet.* Tum etiam, quia ipsemet Adverſarius supra pagina 512. editionis Tolosanae, Scripturis, Augustino, & alijs proba-

Tom. I.

A tioribus Theologis, hanc sententiam conformiorem esse fateatur. Tum denique, quia Suarez, Bellarminus, Toletus, Ruizius, Salmeronius, Maldonatus, aliique celebriores Societatis Theologi, ei adherent. Unde si illa ad non Papismum, seu Calvinismum pertineret, sequeretur Doctrinam Societatis, cum non Papismo, seu Calvinismo converti.

B Tertiò, ut verissimam solutionem subjungam, dupliciter potest aliqua sententia dici pertinere ad Papismum. Primò quia à Summo Pontifice, tanquam de fide certa fancita ac definita est. Secundò, quia ab illo & Romana Ecclesia toleratur, aut permittitur. Si Papismus primo modo sumatur, neutra opinio vel affirmans vel negans scientiam mediam, aut prædefinitiones absolutas & efficaces, potest dici ad Papismum pertinere, cum neutram tanquam de fide tenendam, Romanus Pontifex definiat. Si verò Papismus secundo modo sumatur, utraque sententia & affirmans & negans, ad Papismum pertinet, quia Summus Pontifex utramque approbat & permittit, ac disputationi Theologorum relinquit. Dicimus igitur, etiam salvâ Adverſariorum pace, Papismum totum intra Jesuitarum Scholam minimè concludi, sed etiam ad Papismum pertinere, seu ab Ecclesia Romana, Pontificibusque, D. Thomæ & Thomistarum doctrinam probari; neque Arminianos duntaxat, quibus jam novus Molinistarum titulus accessit, sed & Thomistas, & quotquot Catholicis sunt, Calvino repugnare.

C Sed demum, si quid auctoritati tribuendum est perditæ fidei homini, & hæretico, Virum Religiosum, integræque fidei oppono, ut constet Arminianos, non Papismum interpolasse, ut falsò Molinæus scripsit, sed Semipelagianismum restituisse. Testem adduco Patrem Franciscum à S. Augustino Macedo, Franciscanum Observantem, Magistrum Artium, & Sacræ Theologiæ Professorem, nec non Serenissimi Lusitanæ Regis Historiographum Latinum: hic enim in libro cui titulus est, *Mens divinitus inspirata Sanctissimo Patri Domino nostro Innocentio X. super quinque propositiones Iansenij*, quem Londini edidit inter ipsos, ut ait, tum rigidos Calvinistas, tum Arminianos, & Socinianos degens, quæ art. 1. testatur Arminianos & Socinianos, in materia de gratia & prædestinatione, Semipelagianos esse: *Arminiani (inquit) & Sociniani, qui quòd SEMIPELAGIANI SUNT, plures damnari volebant Iansenij propositiones.* Et art. 5. circa quartam propositionem Iansenij, distinguit inter Semipelagianos puros & mixtos, & docet quòd primi semen fidei & bonæ voluntatis in nuda natura ex integro ponebant; alij verò naturæ gratiam adjugebant, sed eam talem esse dicebant, ut subiecta arbitrio, ab ea penderet; idque probat pluribus argumentis, quorum quartum sumitur ab eorum (inquit) exemplo, qui hodie Semipelagianismum profitentur, partimque cum Pelagianis in nudis naturæ actibus (cujusmodi sunt Sociniani) partim in natura adjuta solâ communi & indifferenti gratiâ (quales sunt Arminiani) initium meriti ponunt, ac utriusque suam iisdem rationibus tuerentur sententiam, quibus olim Semipelagiani mixti & puri tuebantur.... Doceant ergo nos novi SEMIPELAGIANI, quid de antiquis illis sentendum sit. Et infra, *Cum duo sint errores extremi circa gratiam, unus qui eam necessitantem & irresistibilem, ut aiunt, facit, in quo est Lutherus, & Calvinus, & Asecta, qui Manichæismum invexerunt.*

X x



- rum. Alter qui eam facit pedissequam, & servam voluntatis (veribilem appellant) qui est Socinij, Arminij, & Remonstrantium, à quibus est SEMIPELAGIANISMUS RESTITUTUS.
67. Patet ergo ex hujus Authoris testimonio, cui fidem adhibere æquissimum est, utpote viro religioso, & docto, inter Thomistas & Jesuitas constituto, ac neutrius partibus, ut inquit, astricto, & qui Jansenij doctrinæ minimè adhareat, sed eam toto hoc libro impugnet. Patet, inquam, Arminianos, non Papifimum (ut ait Molinaus) sed Semipelagianifimum interpolasse, eosque, Leopardos & Pelagi-Calvinifistas, posse meritò nuncupari. Unde mirum est, tantoperè Adversarium & sibi & suæ Scolaæ gratulari, quòd defensoribus scientiæ mediæ novi illi Semipelagiani sese adjunxerint, & degeneres illa vespa, apum examinibus se ultro miscuerint. Meminisse debuerat eorum quæ scripserat disp. 1. c. 1. libri citati: *Cum in omni fæderum genere, fides Hæreticorum meritò suspicanda sit, neque unquam tunc credatur iis hominibus qui Deo credere noluerunt; in hoc certè bello Theologorum, aded sunt periculosa eorum auxilia, nihil ut merendum sit magis, quam ne cum illis, vel cause communionis, vel armorum societate conjunctus esse videatur.*
68. Objicit secundo Adversarius: Amesium Calvinifimi conscium, ac professorem, fateri verissimam esse Alvarius sententiam, quæ homo ita liber esse defenditur, ut dissentienti tantum potentia stare dicatur cum auxilio quò ad consentiendum moveretur, ex eoque validissimam, ut putat, argumentationem, quæ Thomistas impetaret, conficit. Sic igitur arguit: *Calvinus & Calvinista rigidi, in modo libertatis quem servat liberum arbitrium, motum & excitatum divinæ gratiæ, dissentiant à Tridentino: Amesius est Calvinista rigidus, in hac controversia de gratiæ & libero arbitrio, & adheret Calvinio: Ergo Amesius in prædicto libertatis modo dissentit à Tridentino. Minor (subdit Adversarius) tantum egere videtur probatione, sed re verà non eget, scripsit enim Amesius post schisma Arminiano-rum, qui à Calvinio recesserunt in hac controversia, & ita scripsit, ut eos impugnet, nec quidquam occurrit in ejus scriptis, unde colligi possit displicuisse illi Calvinii sententiam.*
- Iterum verò ita ratiocinari licet. Modus ille libertatis quem admittit Amesius tanquam verissimum, pertinere videtur ad Calvinifimum, & consequenter non esse ad mentem Tridentini, ut probatum est: Modus ille quem admittit, ut ipse quidem fatetur, est acceptus à Didaco Alvare: Ergo ipsius judicio, modus Didaci Alvare pertinere videtur ad Calvinifimum, & consequenter non esse ad mentem Tridentini.
69. Miror hic Adversarij artem, qui hoc quod potissimum probandum erat, cum efficax probatio deesset, ita certum supposuit, & ita velut in transitu libavit, ut nec etiam probatione egere dixerit, Amesium in materia de gratiæ & libertate, rigidiorum fuisse Calvinifistam. Ego contra Amesium, hac in parte, à Calvinio defecisse contendo, & plura in ejus scriptis reperiri, quæ manifestissimè convincant, & Calvinii & rigidiorum Calvinistarum ipsi displicuisse sententiam. Etenim, ut jam & multis & sæpius probatum est, hæc præcipua sunt in materia de gratiæ & libertate, Calvinificæ doctrinæ capita, ut facilè etiam mecum Adversarius consentiet.
- A Solà spontaneitate, seu immunitate à coactione, libertatem perfici.  
Omni gratiam quæ homini in statu nature lapsa tribuitur, esse irresistibilem.  
Gratiæ efficaci libertatem penitus destrui.  
Eos qui per talem gratiam ad bonum supernaturalè non moventur, carere omni ad actus supernaturales eliciendos potentia.  
In salutis negotio voluntatem humanam Deo non cooperari.  
Hæc verò indubitata Calvinii principia, ita expressè Amesius rejicit Tomo 4. Bellarmini enervati, ut ad convincendum, hominem solum qui oculos habeat, desiderare debeam.
- B In primis enim lib. 4. cap. 1. num. 2. hanc positionem seu Thesim Bellarmini approbat: *Ad arbitrium liberum constituendum, omnino requiritur libertas à necessitate, neque sufficit libertas à coactione. Et subdit: Per calumniam tribuitur nostris, quòd libertatem stantiam à coactione tantum; supponunt enim semper quæ illa phrasi utuntur, libertatem voluntatis à necessitate naturalis determinationis ad unum. Et infra: Nos concedimus liberum arbitrium, quando agit, liberum esse ab omni necessitate. Et cap. 3. num. 3. Non negamus voluntatem habere dominium sui actus, sed dominium illud subiectum & subordinatum esse dicimus primo & absoluto dominio Dei.*
- C Secundo idem Amesius lib. 3. cap. 2. num. 1. agnoscit in statu nature lapsæ gratiam interiori cui de facto resistitur, & potentiam aut facultatem faciendi bonum supernaturalè, in his qui actu per gratiam efficacem non moventur. Ait enim: *Apud nos, non omnes illi qui à Deo moventur, necessariò bene agunt; novimus enim multos tam externè quam internè ad bene agendum, qui tamen motionibus illis resistunt. Additque ibidem: Apud nos etiam qui non moventur ad hoc aut illud bonum, sæpe tamen potentiam aut facultatem habent faciendi bonum quòd non faciunt.*
- Tertiò ibidem cap. 3. num. 4. docet libertatem non tolli, sed perfici per gratiam efficacem, probatque ibidem doctrinam Alvarius disp. 18. dicentis: *Per efficaciam præoperantis gratiæ non destruitur, sed potius roboratur, & perficitur nostri arbitri libertas. Prædeterminat Deus voluntatem ad alteram partem, non ex necessitate, sed juxta propriam naturam ipsius voluntatis, efficit ut voluntas liberè, sed infallibiliter semetipsam determinet ad alteram partem. Et libro 4. cap. 3. libertatem non tolli dicimus per gratiam, sed perfici.*
- D Quartò, idem Amesius libro 4. cap. 3. num. 6. ab illo errore Calvinii & rigidiorum Calvinistarum, quò asserunt voluntatem in negotio salutis liberè Deo non cooperari, manifestè recedit: docet enim quòd *Deus facit bona nostra opera, ut causa simpliciter principalis: homo ut causa subordinata, & subdita virtuti & gratiæ Dei.*
- Denique, sensum compositum & divisum intelligit & explicat eodem planè modo quò Thomista, non verò sicut rigidi Calvinista, ut videri potest libro 4. cap. 3. num. 1. & 8.
- E Nullum ergo superesse dubium potest, Amesio displicuisse Calvinii & rigidiorum Calvinistarum in materia de gratiæ & libertate doctrinam, illumque feliciter à Calvinio recessisse, quàm Arminium: iste enim ita Calvinifimum deseruit, ut Semipelagianifimum interpolavit, ut supra ostensum est: ille verò à Calviniana, ad Augustinianam & Thomisticam de gratiæ efficaci doctrinam

70.

71.

72.

73.

74.

75.

transivit, ut ex locis jam inductis patet. Unde in forma ad primum Adversarij argumentum, ita breviter, & unico verbo respondeo, concessa Majori, distinguendo Minorem. Amelius est Calvinista rigidus, & adhæret Calvino, in materia de gratia & libero arbitrio, nego Minorem. In aliis quaestionibus & controversiis, transeat Minor, & nego Consequentiam.

76. Ad secundum, nego Majorem, nam tantum abest quod modus ille libertatis quem ex Alvare docet Amelius (quod nimirum voluntas ita sequitur Deum moventem, ut sequi non possit: seu quod potentia ad non operandum, stat simul in eodem subiecto cum gratia & auxilio quod ad operandum requiritur) pertineat ad Calvinismum, & menti Tridentini repugnet: quin potius contendo, illum esse Catholicum, & Orthodoxum, ac menti Tridentini consonum. Nec potest Adversarius id negare, nisi seipsum abneget, sibi que apertissime contradicat: ait enim libro 4. contra Bajanos cap. 8. §. 7. num. 4. *Lutherus & Calvinus, & eorum sequaces, id est sunt hæretici, quia non admittunt liberum arbitrium, quale postulat Tridentinum, nempe quod excitatum à Deo per gratiam efficacem, possit nihilominus dissentire.* Et infra: *Consequens ergo est, ut dicamus proximam dissentienti potentiam, & à Tridentino sanctam, & ab hæreticis hæreticè negatam.* Idem asserit in responsione ad 17. litteram Montaltij, his verbis, quæ supra art. 1. retulimus: *Catholici Doctores inter se consentiunt, gratiam per se efficacem ita regere voluntatem, ut vim & potestatem resistendi ei non adimat; ita ut hæc duo inter se componantur, gratia in voluntate & in eadem voluntate sub gratia constituta, sufficiens non consentiendi potestas; nec dubitant quin hæc sit verus Concilij Tridentini sensus, in istis verbis, potest dissentire si velit. Quæ ergo fide, & quæ sinceritate hæc asserit, libertatis modum quem Amelius accepit ab Alvare (quod scilicet voluntas ita sequitur Deum moventem, ut sequi non possit) pertinere ad Calvinismum, & Tridentino repugnare? Certè ad illum verba illa Prosperi ad Collatorem, merito dirigere possumus: *Quoquo versusum te conferas, à te metipso & vinciris & vinceris.**

77. Objicit tertio: Twissius in libro quem adversus scientiam mediam edidit, ait suam sententiam de gratia & libero arbitrio ruere, si doctrina de scientia media, sarta rectaque conservetur, illa vero profligatà, inconcussam persistere: Sed Twissius loquitur tunc ut Calvinij Discipulus, & quidem Magistro suo impensè addictus, inquit disp. 1. c. 1. num. 5. Ergo Calvinij sententia ruit, si doctrina de scientia media sarta rectaque conservetur, & inconcussa stat, si illa profligetur, & tollatur de medio. Adeo sibi eà ratiocinatione gratulatur P. Annatus, ut ibidem num. 12. dicat, quod hæc digna est que imprimatur in *Academiæ omnium frontibus persuasio: Profligatà scientiæ mediæ, Calvinij sententiam de gratia & libero arbitrio inconcussam persistere.*

78. At hæc facillè distantur, negando Minorem, quod scilicet Twissius ibi loquatur ut Calvinij Discipulus, & Magistro suo impensè addictus: Tum quia toto illo libro vix meminit Calvinij: Tum etiam, quia Twissius, sicut & Amelius, à Calvino & rigidioribus Calvinistis, in materia de gratia & libero arbitrio recessit, nostræ enim libertatis concordiam, cum auxilio gratiæ, cum scientia divina, & decretis efficacibus, toto illo

Tom. I.

opere repetit ab omnipotentissima virtute, quæ Deus res facit, eo quo placet modo, liberè, necessariò, aut contingenter: Calvinus verò, & rigidi Calvinistæ, ejusmodi concordiam non curant; imò docent decreta & auxilia divina, ratione suæ efficacis, omnem voluntatis indifferentiam, ac dissentienti potentiam consumere, ut supra ostendimus.

79. Adde quod Twissius ibidem, non tam Calvinij, quam Scoti Discipulum se profiteatur, atque Scoti subtilitatem sibi placere, & hæc de scientia Dei tractatione, Divo Thomæ antepone, eumque velut ducem & magistrum sequi; unde si quæ ex Twissij consortio noxa timeatur, in Scotum & ejus Discipulos, potius quam in Thomistas casura est. Quæ omnia Adversarius mirâ arte & calliditate dissimulavit, ut in Thomistas vehementius invehi posset.

80. Sed quidquid sit de mente & doctrina Twissij, dico sententiam negantem scientiam mediam, magis repugnare errori Calvinij, magisque esse idoneam ad illum confutandum, quam sententiam affirmantem, & admittentem in Deo scientiam mediam, quod hoc syllogismo evinco. Illa scientia quæ negat & destruit principium in quo tota Calvinij de gratia & libero arbitrio hæresis fundatur, magis repugnat errori Calvinij, magisque idonea est ad illum confutandum, quam quæ tale principium admittit, statuit, & confirmat: At sententia negans scientiam mediam, præcipuum Calviniani erroris principium & fundamentum negat, convellit, ac destruit: è contra verò sententia affirmans, illud concedit, statuit, & confirmat: Ergo sententia negans scientiam mediam, magis repugnat errori Calvinij, magisque apta & idonea est ad illum confutandum & evitandum, quam sententia affirmans, & admittens in Deo talem scientiam. Major videtur manifesta, Minor verò in qua est difficultas, sic ostenditur. Primum Lutherane & Calvinianæ hæresis principium, illud est: *Arbitrij nostri libertas, cum decretis & auxiliis ex se & ab intrinseco efficacibus stare non potest:* Ex hoc enim principio tam Lutherus quam Calvinus suam hæresim de libertatis excidio deduxerunt; sic enim discurrebant. Secundam Scripturam, & SS. Patres, præsertim Augustinum, datur gratia ex se & ab intrinseco efficax, liberum hominis arbitrium præveniens, & ad volendum ac operandum prædeterminans voluntatem: *Neque enim*

(inquit Calvinus) *secus accipi sententia Christi potest, omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me, quam ut efficacem à seipsa Dei gratiam doceat, quemadmodum & Augustinus ostendit.* Ergo libertatis indifferentia nulla est, & sola spontaneitas, seu immunitas à coactione, in voluntate mota & excitata divino auxilio relinquatur. Unde ibidem subdit: *Medium quem Sophiste imaginantur motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, apertè excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.* Impegit in eundem scopulum Lutherus, & ex eodem principio totam de libertatis excidio doctrinam deduxit. Sic enim in libro de servo arbitrio, post medium, & everte mentis Philosophus, & perfrictæ frontis hæreticus, perversè discurret: *Gratia (inquit) predicatur: Ergo liberum arbitrium tollitur. Auxilium gratiæ commendatur: Ergo liberum arbitrium destruitur.* Et iterum: *Quotquot sunt loca in Scripturis divinis, quæ meminerunt auxilij, tot sunt quæ*

Lib. 2.  
insti.  
cap. 3.

X x ij

tollunt liberum arbitrium. Tandemque sic concludit: *Hæc est sane collectio & rata consequentia, quam nec inferorum porte subvertent.* Constat igitur Calvinum & Lutherum, suos ex eo principio errores deduxisse, atque hoc primum fundamentum jecisse: *Arbitrii nostri libertas, cum decretis & auxiliis ex se & ab intrinseco efficacibus stare non potest.* Atqui hoc etiam principium scientiæ mediæ defensores admittunt, obijciuntque toties Thomistis, nullâ ratione cum iis decretis & auxiliis ab intrinseco efficacibus, posse libertatem conciliari, sed eam efficaciam, esse & libertatis humanæ ruinam, ipsique ultimum vulnus inflictum: è contra verò Thomistæ, principium illud, ut falsum, & erroneum rejiciunt, & rectè conciliari putant eam efficaciam gratiæ cum libertate indifferentiæ; imò divinæ voluntatis efficaciam, primam totius libertatis & contingentiæ radicem agnoscent: siquidem ut profundè Angelicus Præceptor 1. p. quæst. 19. art. 8. ad 2. discurret: *Ex hoc ipso quod nihil voluntati divina resistit, sequitur quod non solum fiant ea que Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario que sic fieri vult.* Igitur sicut qui fundamentum alicujus domûs evertit, vel radicem arboris evellit, statim totam domum, & arborem destruit. Ita quoque Thomistæ, perversum illud Lutheranæ & Calvinianæ hæresis fundamentum evertentes, & ad radicem hujus arboris securim adhibentes, hunc errorem radicis tollunt, & funditus evertunt. Unde nobis illud Adversarij potiori jure usurpare licet: *Hæc digna est que imprimatur in Academiarum omnium frontibus, persuasio, prostrigatâ doctrinâ Thomisticâ, Lutheri & Calvinii sententiam de gratiâ & libero arbitrio inconcussam perstare.*

31. Obijcit quartò Adversarius testimonium Theophili Bracheti, vulgò Millererij, qui in libro quem inscripsit, *Christiana concordia inter Catholicos & Evangelicos instituenda consilium*, dum tractat de prædestinatione, deque fidei per Christi gratiam dono, discrepantes Authorum sententias, in hunc modum repræsentat. *Singularem nec eam communem internæ gratiæ vim, apud eos qui convertuntur à Deo adhibitam, astruunt nonnulli ex Catholicis, cum Evangelicorum plerisque, qui ab Ecclesia Romana secessionem passi sunt. Quamquam hæc quidem in parte, Sedis Romanæ sententia præca, necdum immutata, B. Augustini definitiones amplexa, singularis gratiæ defensionem retinere videatur. Communem verò parvamque gratiam cum iis communicari, apud quos dispar interdum sequitur eventus, contendunt plerique omnes Catholicos, & Evangelicorum jam non pauci, partim ex iis qui in Germania Lutherum Magistrum deserentes, ad communem Catholicorum sententiam redierunt; partim ex iis qui in Belgio, Arminium Doctorem sequuntur. Remonstrantes dicti, eidem sententiæ adstipulantur, eamque iuentur mordicis. In quibus verbis (subdit Adversarius) non est difficile conjicere, qui sint nonnulli illi Catholicos, qui singularem illam gratiam, cum Calvinistis rigidioribus asserunt, significat enim Thomistas &c.*

32. Respondeo Authorem illum hæc scripsisse, dum adhuc caligine involutus esset, nec satis Catholicorum calleret sententias: necdum enim noverat, præter Dominicanos, omnes Patres exalceatos Carmelitas, & à Mercede Redemptorum, Academiæ Lovaniensem & Duacensem, ex Clericis Regularibus, Patres Oratorij, Barnabi-

tas, Patres doctrinæ Christianæ, aliosque plures, Augustinianos esse, & gratiæ per se efficacis defensores acerrimos. Ignorabat etiam, Arminianos, & Socinianos, ita à Lutero & Calvino recessisse, ut ad Pelagium & Faustum Regiensensem accesserint, & Semipelagianismum interpolarent, ut supra ex Francisco à S. Augustino Macedo demonstravimus. Illud magis videtur ex caligine profectum, quod Concilij Tridentini emendationem tentaverit, quasi ejus decretum cum gratia Augustiniana non admodum consentiat, & verba ista, *per voluntariam receptionem gratiæ & donorum*; sicut & ista, *juxta cuiusque dispositionem & cooperationem*, ex Tridentini canonibus & decretis delenda dixerit. Sed quid hæc ad Thomistas? Quis illorum negat, hominem voluntariè gratiam, & alia Spiritûs Sancti dona recipere, atque ad illa se disponere, eique cooperari? Si quid in Millererio dignum laude sit, illud est, quòd gratiæ efficacis Augustinianæ, seclusâ scientiâ mediâ, semper fuerit vindex acerrimus, quod ab eodem, suiipsius teste locupletissimo, in colloquiis familiaribus apud Fontem Bellaquensem habitis, ipse sæpius accepi. Nec ipsum adhuc in caligine positum latere potuit Augustini mens, sed verbis illis supra relatis, apertè indicavit: *Sedis Romanæ sententiam præcam, necdum immutatam. B. Augustini definitiones amplexam, C. singularis gratiæ defensionem retinere.*

Antequam hunc articulum concludam, ut argumentum quod ex Arminianorum accessu ad defensores scientiæ mediæ, & Twissij ac Amesij cum Thomistis consensu, in rejicienda scientiâ mediâ, & gratiâ per se efficaci amplectenda, sæpe repetit & inculcat Adversarius, confringatur & convellatur penitus, placet hæc subnectere, & transcribere egregium P. Baronij discursum, quem habet libro sæpè à me citato & laudato, de libertate humana & gratiâ divina. *Corum est (inquit) Calvinistarum sectam in tres, Gommaristarum, Ariminensium, & Dordrethani Conciliabuli divisam Sectas, primam & postremam ad causam suæ præsidii Thomistas; Ariminensium alteram, scientiâ mediâ patronos advocare. Quos verò ex his Calvinistis asserioribus, putat Adversarius ab Ecclesia Catholica sensu longius abesse? Non dubito quin Gommaristas cum Dordrethanis, in Ariminensium gratiam pronuntiet. Sed quis non videat, iudicium istud non carere gravi & iustâ, gratiæ & odij suspitione, quòd Gommarista cum Dordrethanis in Thomistas proniores, ad decreta confugiant; Ariminenses decretis infensi, uno scientiâ mediâ præsidio se tuteantur?*

Quid ad ista dicent Catholicos, à partium studio remotiores? Eodem loco reponent Ariminenses cum Gommaristis; & inde, vel nihil mali Thomistis creari, ex Dordrethanorum in illos inclinatione; vel par periculum & damnum ascisci dicent Recentioribus, ex Ariminensium in illos studio & affectu. Quare vel deserenda est hæc in Thomistas accusatio, ex Gommaristarum consensu, ficto aut vero; vel subeunda est similis ex Ariminensium in illos consensione.

Nodum istum exolveri velim, salvâ equitate, neque ex præiudiciis propria sententiæ; Ariminenses Catholicos pronuntiarî, quia sibi concordant sunt, nec damnari Gommaristas quasi hæreticos, quòd ad Thomistarum videantur partes accedere. Si contendas ita pronuntiandum, quòd Twissius, Molinens, Amesius, ex Thomistis arripiant argumenta in Adversarios; ego huic ju-

dicio intercedam, aut diversum feram, quod Iacobus Arminius, & illius associa Perchinsius, Arnoldus, Vossius, Grossius, Molinam laudent. Penitentium diu noctuque legant, Suarem sibi in Magistrum & Patronum asiscant; quod scientia media sit illis loco clypei & teli, quâ Adversarios depellant & laceessant. Si dicas Arminenses non longè esse à regno Dei, & inde pures tua sentia commendari, quod minus ab illis factio Ariminensis abhorreat; idem de Gommari-starum in Thomistas propensione, præjudicium pro nostra sententia arripiam. Igitur hic æquo Marte æternum certabimus, nisi aliunde probes Ariminenses Calvinistas, æquitate causa Adversariis esse superiores. Sed hoc non evinces, nisi adjungas vos longius quàm Thomistas ab errore abesse; quod unum nostræ controversiæ caput est, hætenus non probatum, neque illâ confessione hæreticorum unquam evincendum. Nonne præstaret hic votum pacis præferre, quàm æterna discordia semina serere & fovere? Per me non stabit, quin perpetuam pacem ineamus, in commune Ecclesia Catholice bonum, cum aliqua cause nostræ noxa, compensanda utilitate religionis. Ego sanè nihil dubito polliceri, meo, omniumque Thomistarum nomine, Ariminenses pro Catholicis nos habituros, si aliis erroribus abdicatis, ad Ecclesiam redeant, quamvis ad partes Molinæ de gratia, prædestinatione, & libero arbitrio accedant. Sed à vobis exigo simile studium pacis, nec vobis hæretici sint Amesius, & Molinæus, quandiu de gratia, prædestinatione, & libero arbitrio, cum D. Thoma, Alvarezia, aliisque Thomistis, idem loqui & sentire visi fuerint; neque hoc nomine, si ceteros errores ejurent, ab Ecclesia exclusos velint. Has utrinque conditiones pacis acceptas habeamus, nec nimio præjudicatarum opinionum amore, incendium, quod à multis annis flagrat Ecclesia Catholica, moremur extinguere, vel augere. Per me non stabit, quin à mutuis accusationibus, in Religionis Catholice perniciem, & Hæreticorum scandalum, abstinemus; nec Ariminenses nos depellemus, quod scientiâ mediâ putent iter sibi munire ad aviram Ecclesia fidem, dummodo vos eodem animo excipiat Gommari-stas, & Dordrethanos, si à suis erroribus partiamur decretis Scholæ Thomistice, se ad fidem Catholicam trahi. Certè à nullis tam æquum pacis in eundem medium reiici potest, nisi ab ijs, apud quos præjudicatarum opinionum amor, adversus antiquæ traditionis, & tranquillitatis Ecclesia studium, invalescit.

ARTICVLVS VI.

Quæ ex Catholicorum testimoniis Adversarius objicit, breviter diluuntur.

86. Validius argumentum objici Thomistis videtur, ab ijs Authoribus petitum, quorum pietas & religio recusare auctoritatem vetat. Objicit itaque in primis Adversarius, quod antequam nasceretur Calvinus, Thomas Waldensis, Carmelitarum in Anglia Provincialis, tomo 1. doctrinalis fidei, querebatur magnos aliquos viros periculosè philosophari in admittenda necessitate agendi, quæ foret extra hominis potestatem, & penes Deum; hi autem qui alij esse possent, præter Thomistas, è quorum Scholâ circa illa tempora prodiit Bravardinus, is ejus doctrinam tantopere ac tam sæpe laudat Twissius, sicuti

Tom. I.

A jam tunc nascituris faveret Calvinistis?

Admodum etiam scire cupit Adversarius, quoniam illi sint quos indigitat Dominicus Soto, dum dicit libro 1. de natura & gratia cap. 15. Quin etiam sunt inter Catholicos, quos vivâ voce dogma hoc asserentes, nobisque reclamantibus, defensores audivimus; putâ quod Deus quadam nos vi ac necessitate ad se pertrahat; ita ut in nostrâ conversione mere habeamus nos passivè, & receptivè, de quo idcirco Sacrosancta Synodus sessione 6. Nimirum (subdit P. Annatus) idem erant sine dubio quorum meminit idem Soto capite sequenti, dum dicit: Sunt ergo inter Scholasticos, qui docent, posito concursu Dei, non esse utrumque in potestate voluntatis agere & non agere; ob idque secundo aiunt, hujusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum: imò dicunt, ut suâ utamur voce, concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel utrumque, nunquam intellexi, vel neutrum unquam credam. Quid autem crederet, explicuerat paulò ante, his verbis: In adultis reddenda est proxima causa, cur cum duos aqû sit Deus paratissimus convertere, presentissimæque utrumque misericordiâ aspiret, hunc trahat, illum non trahat: quæ revera reddi non potest, nisi quod alter præbet assensum, & cooperatur, alter verò minime.

Hoc testimonium viri primarios inter Thomistas clarissimi, facit ut Adversarius credat, amare veritatis, magis quàm partium, scripsisse Belarminum id quod legitur libro 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. nempe quod sententia quæ docet gratiam efficacem esse qualitatem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, videtur aut esse omnino eadem cum errore Calvini & Lutheri, aut parùm ab illis differre.

Idem sensisse Cardinalem Petronium probat ex Authore Gallia purpuratæ, qui refert ipsum Clementi VIII. ad partes Dominicanorum inclinantem, pro physica gratiæ motione, significasse se impetratum ab omnibus Europæ Sectariis, ut huic determinationi subscriberent.

Denique inter ipsos quoque D. Thomæ discipulos, nonnullam esse hujus cum Calvinistis concordia suspicionem, probat ex Campanella, qui in libro de prædestinatione & reprobatione, testatur plerisque ex Calvinistis gloriari de consensu cum Thomistis, in materia de gratia & prædestinatione, & ex Joanne Gonzale, & Joanne Vincentio, qui à communi Thomistarum sententia recesserunt, ne Calvinismi notam, vel suspicionem incurrerent.

Hæc omnia P. Annatus objicit, quæ veluti agmine facto opponere placuit, ut majores vires habeant. Hæc tamen non multùm vrgent, neque infudandum erit, ut solvantur.

Ad primum igitur respondeo Thomam Waldensem, magnum suæ patriæ, & familiæ Carmelitanæ ornamentum, præfato libro doctrinalis fidei, disputare contra Wicleffum, qui jam Calvinio præludebat, dicebatque Dei præscientiâ tolli liberum arbitrium, & omnia necessariò, necessitate absolutâ, contingere: unde ibidem conqueritur, magnos aliquos viros huic errori favere, eò quod illi etiam ex divino decreto necessitatem quandam absolutam & præcedentem in actus humanos inuherent. Sed quid hæc ad Thomistas? An fortè eandem necessitatem ex divinæ voluntatis & motionis efficacia in actus nostros derivari existimant? Sæpiùs diximus, esse omnium

X x iij

Thomistarum sententiam, divina decreta & auxilia, ita esse efficacia, ut tamen actualem voluntatis indifferentiam, seu absolutam dissentendi potentiam, à voluntate non auferant. Et certè nusquam existimasse Waldensem, Thomistas suà de gratia efficaci sententiã, favere Wicleffo, & necessitatem absolutam & præcedentem in actus humanos invehere, omnino convincit, quod etiam ille in libro de Sacramentalibus cap. 7. 8. & 9. gratiam per se efficacem, voluntati dominantem, & velle ac operari in nobis operantem, cum Augustino agnoscat, illudque Augustini de correptione & gratia in principio, sæpius repetat. *Non se itaque fallant qui dicunt, ut quid nobis predicatur atque præcipitur ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritui Dei se agi, ut quod agendum est agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.*

92. Sed hic Adversarium sui meminisse vellem, dum innuit, Thomam Waldensem, cum permagnos illos viros, quos periculose philosophari scribit, in admittenda necessitate agendi, quæ foret extra hominis potestatem, & penes Deum, intelligere physicæ prædeterminationis, & absolutarum prædefinitionum assertores. Qui enim fieri potest, ut Dominicus Bannez primus fuerit physicæ prædeterminationis inventor, ut Theophilus Raynaudus, alijque ex Societate communiter dicunt, si jam tempore Martini V. & Concilij Constantiensis, quò Waldensis contra Wicleffum scribebat, id est centum quinquaginta tribus annis, ante evulgata Bannis opera, in quibus decreta & auxilia efficacia & prædeterminantia statuit, Waldensis ipse, permagnos aliquos viros prædeterminationem docentes audiverit? Sanè ut id conciliet Adversarius, hoc unum superest, ut dicat Waldensem hac in parte prophetasse, & prævidisse Dominicum Bannem, & post centum quinquaginta tres annos futurum, audivisse. Nam Thomas Waldensis, ex Posslevino, obiit anno 1430. Bannez verò edidit Commentaria sua in primam partem anno 1583, id est centum quinquaginta tribus annis post ejus mortem. Alterum igitur ab Adversario concedendum est, vel doctrinam de divinis prædefinitionibus, & physica prædeterminatione, antiquissimam esse, & à ducentis triginta sex annis floruisse, atque à magnis & doctis viris eo tempore fuisse propugnatam, non verò à Banne anno 1583. excogitatam, ut Patres Societatis causantur; aut magnos illos viros, de quibus Waldensis Tomo primo Doctrinalis fidei conqueritur, non esse divinarum prædefinitionum, seu physicæ prædeterminationis assertores, ut innuit hic Adversarius. Quid horum electurus sit, planè non video, ut illud Susanna locus sit usurpandi, *Angustia sunt undique.*

93. Atque hic etiam est quòd Adversarij fidem & sincerum animum, neque dolo pugnantem, Thomista desiderent. Paragrapho 2. num. 100. innuit, Bravardinum, Cantuariensem Archiepiscopum, fuisse ex Schola Thomistarum, & tamen in libro quem nuper idiomate Gallico scripsit, & cui hunc titulum præfixit, *la conduite de l'Eglise*, parte 2. cap. 4. deridet ac sugillat. Antonium Arnaldum, quòd Bravardinum inter Thomistas numeraverit. Verba ejus hæc sunt: *Cum Dominus Arnaldus spem fecisset exponendi nobis Thomistas omnes, nullo excepto, idem cum eo sentientes, ementios duntaxat milites, in Thomistas*

Pagina  
148.

A *larvatos exhiber. At quòd quæsit Bravardinum, ponendum in capite omnium Thomistarum? Et quomodo id, si astringeretur, probaret? nisi forte (quæ valde violenta videtur conjectura) suaderet Bravardinum Thomistam, quòd Aveniensi factus Episcopus, voluerit in Cordigerorum Ecclesia consecrari?*

Le sieur Arnaud nous ayant fait esperer, qu'il seroit monstre de tous les Thomistes qui sont de son avis, nullo excepto, ne nous fait voir que des Passé-volans travestis en Thomistes. Mais où est-il allé chercher Bravardin, pour le mettre à la teste des Thomistes: Et comment seroit-il, s'il estoit obligé de le prouver? Sinon peut-estre qu'il voulût se servir de cette conjecture, qui paroist bien violente, pour persuader que Bravardin estoit Thomiste, c'est qu'estant fait Eveque en Avignon, il voulut estre sacré dans l'Eglise des Cordeliers?

Quantum ad Dominicum Soto, levior est suspicio, ut ad certum judicium in re adeo gravi, & ad improperandam Thomistis cum Hæreticis consensionem, sufficiat. Unde enim Adversarius colligit Sotum indigitare juniores Thomistas, cum asserit se contra quosdam Catholicos reclamasse, quorum doctrinam à Tridentino profcriptam existimabat? Nihil enim eo loco Sotus refert quod oppositum non convincat. Tria his Authoribus Sotus tribuit, quæ nullum unquam Thomistarum, aut reipsa, aut in specie docuisse, Adversarius reperiet. In primis ait loco ab Adversario citato, illos Catholicos docuisse, quòd Deus nos vi & necessitate quadam pertrahat. Secundò, quòd in nostra conversione merè habeamus nos passivè ac receptivè. Tertio, capite sequenti de iisdem Scholasticis loquens, dicit illos existimasse, postò Dei concursu, non esse utrumque in potestate voluntatis agere & non agere, & propterea illum non numerari inter requisita ad agendum, sed actionem ipsam concomitari. Quem verò ex Thomistis (nulum excipio) reperiet, qui his subscribat? Qui Deum nos vi & necessitate pertrahere existimet? Qui putet voluntatem in conversione, nullo conatu, nullà cooperatione adhibitã, solùm passivè se habere, & qui sentiat demum non esse utrumque in potestate hominis, postò concursu, agere & non agere? Quem Adversarius inveniet (ut sua etiam ipsius verba iterum reponeam, & sui partim meminisse ostendam) quem inquam inveniet, qui dicat voluntatem divinã gratiã prædeterminatam, carere proximã ad dissentendum, seu non agendum potentiã? Quem dabit qui doceat Dei concursum non esse prævium, sed tantum simultaneum, & actionem ipsam, prioritate saltem naturæ & causalitatis non præcedere? Hæc equidem Adversarij conjectatio levis est, sed tamen gravissimam contradictionem ostendit.

At demum, si damnatam à Tridentino præmotionem Sotus existimasset, non erat adeo hebes vir excellentis ingenij, & de quo aliquando dictum est, *Qui scit Sotum, scit rotum*, ut profcriptam à Tridentino sententiam teneret cui intererat, nulli etiam in explicandis, defendendis, elucidandis Theologiæ difficultatibus secundus, qui ob insignem in propaganda fide, fugandisque Hæreticis ardorem, illustri meruit stemmate à Tridentinis Patribus donari: flammæ scilicet è duarum manuum conjunctione erumpentis, cum hac Epigraphe: *FIDES QUÆ PER DILE-*

94.

95.

TIONEM OPERATUR. Præmotionem verò tenuisse Sotum, ignorare minimè Adversarius potest, cum eodem loco quem refert ex capite 16. libri de natura & gratia (quod opus in ipso Concilio Tridentino Sotus edidit, & à Legatis Concilij approbatum fuit) post ea verba quæ supra retulimus, statim subdat. *Etenim non est dubium quin concursus Dei, licet comitetur, ut aiunt, actionem, sit nihilominus cuique causæ requisitus ad agendum, imò verò et natura prærequisitus, quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, verum ipse etiam movet eam ad agendum.* Et rursus, loquens de actibus nostris liberis, ait: *Non prius tempore à Deo, quam à nobis, sed simul à Deo & à nobis sunt, ab eo tamen prius natura.* Item cap. 18. agens de concursu Dei ad actus malos & peccaminosos; hæc scribit. *Haud equidem dissentitur Theologi, emittatis (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam, eo efficiencia genere, quò cuncta animantia & inanimata, ad suas naturales actiones permovet. Quæ verba non possunt intelligi nisi de præmotione physica, cum agentia naturalia & rationis expertia, motiones moralis capacia non sint.*

96. Nec quemquam movere debet, quod idem Author ait cap. 15. nempe *de duobus quos Deus paravimus est aquè convertere, presentissimaque misericordiâ aspirat, reddendam causam proximam, cur hunc trahat, illum non trahat, quòd alter prebeat assensum, & cooperetur, alter minime.* Consultò enim causam proximam assignat huius discriminis, non primam radicem; absit enim à D. Augustini, & S. Thomæ Discipulo, ut in voluntatem creatam referat id de quo Paulus querit, *quis se discernit?* Adde quòd, in fine Commentariorum super librum quartum sententiarum, id quod in libro de natura & gratia dixerat, exponit de causa solùm materiali & dispositiva, & ait: *Quantòvis causa prior efficiens quæ nos convertit, sit motio Dei præveniens, tamen dispositio materialis, quæ hoc modo dicitur causa, est assensus nostra.* Sicut causa efficiens præveniens cur fenestra aperiatur, est aer intrans, & causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperiatur.

97. Plurimum P. Annato debeo, quòd Bellarminum adjecerit: hoc enim suâ objectione egit, ut eodem capite 12. libri primi de gratia quem citat, acrem ejus censuram reperim, cujus fortè non meminissim, quâ Molinæ sententiam excipiat. Audiât itaque quid suæ Societatis Bellarminus de opinione Molinæ sentiat. *Prima opinio eorum est: qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humana; ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, quia voluntas humana ei cooperatur. Hæc opinio aliena est à scientia Augustini, & etiam Scripturarum Divinarum, evertit fundamentum prædestinationis divinæ. & abutitur voce gratiæ efficacis.* Quid Lessius, Martinonus, alique Molinæ defensores, huic Bellarmini censuræ opponunt? Dicent haud dubiè, in hoc Bellarminum excessisse. Quidni ergo, idem Thomistis respondere licebit (quorum non magis quam Patrum Societatis interest, Bellarmini honori consulere) verbaque ista Magistri à Lorca, Cisterciensis, disp. 21. de gratia conclus. 2. illi opponere: *Nimis excedunt illi, qui insuperabili contentione defendunt, physicam prædeterminationem quam docent Thomistæ, auferre libertatem, & sententiam quæ*

A *illam asserit, nihil aut parum a Calvinò differre. Cum enim evidens sit esse S. Thomæ doctrinam, & plurimum ex antiquis Scholasticis, nullâ ratione timendum est, aliquid inesse periculi; sed potius credendum est, esse fidei Catholice consonam. Et his censuris uti, nec pie nec prudenter fit.*

B Verùm existimare malim quòd plures sentiunt, nusquam ea verba quibus gravius quàm par esset, sententiam D. Thomæ & Thomistarum notasset, piissimum juxta & doctissimum Bellarminum scripsisse, sed à quibusdam Jesuitis Germanis, qui impressioni libri controversiarum ejus præerant, intrusa fuisse. Neque hujus fraudis & adulterationis evidens argumentum deest: triplex enim habeo. Primum est, quòd Fulgatus, & Sylvester à Petra Sancta in vita Bellarmini, libro 2. c. 5. pagina 100. editionis Latinæ Antuerpiensis, narrant modestiam Eminentissimi hujus Cardinalis, maximè tunc apparuisse, quando (inquiunt) cum volumina controversiarum essent disposita, ut in lucem edi possent, non modò æquanimiter (sicut ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatur est) sed cum hilaritate etiam passus est, à Patribus Societatis in Germania, quoad pauculas opiniones immutari, in spem fructus inter Hæreticos uberioris.

C Secundum ejusdem fraudis argumentum est, quòd in editione Lugdunensi apud Pilehotte anno 1593. quadam circa hanc materiam habeantur, quæ minimè reperiantur in editione Parisiensi anni 1608. & è contra, ut videre poterit Lector, huiusque editionis collatione, ad finem capitis 14. libri 4. de gratia & libero arbitrio.

D Sed demum quòd ea verba in libro controversiarum Bellarmini, à Correctoribus Germanis, vel aliis Jesuitis, intrusa fuerint, non levis conjectura, sed evidens argumentum ex eo sumitur, quòd Bellarminus infra libro 4. cap. 16. sententiam Thomistarum ut probabiliorè amplectatur, his verbis: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam, et forte probabilior, est juxta sententiam S. Thomæ, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solum eis dederit & conservet virtutes operativas, sed etiam eas moveat et applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. p. quæst. 105. art. 5. & libro 1. contra Gentes cap. 70. & in quæstione 3. de potentia art. 7. Quæ sententia videtur valde consentanea, tum Scripturæ, quæ dicit nos in Deo esse, vivere, & moveri, Actorum 17. tum etiam rationi & ordinem quem habet prima causa cum secundis.*

E Addit tamen ibidem, motum seu applicationem quæ voluntas efficaciter movetur & applicatur à Deo, pendere à negativa quadam dispositione, quæ homo Deo non resistit, sed finit se ab illo moveri & applicari; & per hoc humanam libertatem cum divina motione conciliat. Ubi licet quòd addit ad conciliandam libertatem, minus probabile sit, & à Thomistis, aliisque gratiæ per se efficacis defensoribus, rejiciatur communiter; eò quòd D. Augustinus de prædestin. Sanct. cap. 8. dixerit negationem resistentiæ esse effectum ipsius gratiæ efficacis, non verò dispositionem ad illam requisitam: *Hæc gratia (inquit) quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, idcirco enim tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur: Constat tamen Bellarminum, sententiam D. Thomæ probabiliorè existimasse, Neque*

Adversario similem Bellarminum putaverim, qui sibi contradicat, & eandem sententiam probabilio. em. jnter Theologos, & ab errore Calvini minus remotam, dicat.

99. Ad id quod de Cardinali Perronio ex Gallia purpurata P. Annatus refert, in primis dico Authorem hujus libri fuisse Jesuitam, & in favorem Jesuitarum aliqua in vitis Cardinalium Doflati ac Perronii scripsisse, à veritate penitus aliena: unde hæc narratio in eodem prædicameto reponenda videtur cum peregrinatione Pythagoræ ad montem Carmeli, ex quo Philosophiam deduxisse creditur, ut verbis & exemplo Adversarij utar: præfertim verò, cum Perronius nunquam in tot epistolis ad Henricum Magnum conscriptis, quibus eum de minimis etiam quæ in Congregatione de Auxiliis agebantur negotiis certiorum facit; de hoc tamen, quod potissimum erat, ne verbum quidem dixerit.

100. Deinde respondeo, quamvis hæc narratio vera effæt, sententiam Clementis VIII. sapientissimi & eruditissimi Pontificis, ad partes Dominicanorum pro physica motione gratiæ propendentis, Cardinalis Perronij iudicio anteponendam esse, maxime cum ab ipso hæc de gratia & libero arbitrio controversia, eâ ubertate doctrinæ, & vi argumentorum, quâ cæteras explicat, non pertractetur, ut mirum aut incredibile non sit, ipsum latuisse discrimina inter Thomistas & Calvinistas à me demonstrata, præsertim veram & germanam sensûs compositi & divisi intelligentiam; cum plures viri doctissimi, omnesque Societatis Theologi, qui de hoc scripserunt, nimirum Suarez, Lessus, Molina, Vazquez, Merarius, Coninchus, & alij, in hujus celeberrimæ distinctionis intelligentia, ex qua tota pendet hujus difficultatis resolutio, & libertatis cum efficacia gratiæ concordia, hallucinati fuerint, ut in Tractatu de prædestinatione fusè ostendemus.

Disp. 6.  
art. 4.

101. Non est etiam, cur Campanellam nobis opponat Adversarius: Sciunt quos veritatis & antiquitatis amor tenet, hunc Authorem liberioris semper fuisse sententiæ, & scientiarum novandarum cupidissimum: nec mirum cuique esse debet, illum temerè adeo scripsisse de nostris dogmatibus, cum non dubitaverit totam Aristotelis Philosophiam, damnate, omnesque ejus positiones, *asiniates* appellare, & asserere D. Thomam nunquam legisse Aristotelem, quod suarum esset constitutionum observantissimus, quibus cavetur, *No fratres nostri libros Gentilium legant.* Utinam cum magnitudine ingenij, quâ ferè sui sæculi miraculum in Philosophicis videri poterat, paritatem habuisset erga antiquitatem & SS. Patres reverentiam.

102. De Gonzalis opinione breviter dico, eam nihil aut parùm à communi aliorum Thomistarum sententia discrepare; ille enim negat dari in Deo scientiam mediam, admittit prædefinitiones absolutas, gratiam efficacem Augustinianam, & physicam prædeterminationem, quam non vult consistere in motione virtuosa, aut in qualitate fluente, & viali, sed in actibus indeliberatis, qualis est intentio finis, in quo ab Alvare & aliis Thomistis dissidet. At hoc parùm refert, nec minus disputari potest, salvâ causâ & doctrinâ communi inter Thomistas, quàm à defensoribus scientiæ mediæ disputatur, in quo medio Deus futura contingentia cognoscat, circa quod inter se ita divisi sunt, ut in quinque vel sex diversas cogantur abire sententias, ut disp. 4.

A art. 2. ostensum est.

Demum Joannes Vincentius Asturicensis, quem ultimo loco nobis objicit Adversarius, admittit omnino prædeterminationem physicam, respectu actuum bonorum; hoc uno differt, quod probabilius existimet, Deum non prædeterminare physicè voluntatem creatam ad substantiam & entitatem actûs peccati, ut refert Ledesma in Tractatu de auxiliis.

103.

Sed æquum forsitan fuerit, ut Adversario mutam vicem rependamus, & ut ipse duorum Cardinalium, & quorundam Thomistarum testimonia nobis objicit; ita & nos totidem Cardinalium & Jesuitarum testimonia, illi pariter opponamus.

Pagina  
191.

B Primum itaque ex Sacro Purpuratorum Patrum senatu Baronium oppono, cujus pietas, & doctrina non minor, toti Ecclesiæ notissima est, & qui Molinæ doctrinam suâ novitate periculosam existimavit. Etenim in Epistola quam ad Dominum de Vilars Archiepiscopum Viennensem misit, & quam refert Dominus Matthæus historici Gallicæ scriptor, Tomo 2. septem annorum pacis, ita quid de Molinæ sententia existimet, metuatque, declarat. Hæc quæ appono, hujus Historici verba sunt: *Vidi ego literas Cardinalis Baronij, manu propria scriptas ad Dominum Petrum de Vilars, Archiepiscopum Viennensem, verè alterum Gallie Hilarium; & quem Magnus ille Cardinalis vocat lucernam pedibus suis, dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare. Et sane ab omnibus habetur ex doctissimis totius Ecclesiæ Episcopis. Conqueritur ille, quod Molina questionem excitavit, quâ Ecclesia Catholica non erat opus, atque sub sinem ait, quod licet diligat & colat ex animo Jesuitas, sibi que injuriarum reputet quidquid eos offendit, nihilominus eos admovuit, ne existimationem suam defendendo sententiam Molinæ, discrimini exponant. Ad marginem verò ipsa verba Epistolæ sic refert: Vale Pater amantissime & doctissime, lucerna pedibus meis, dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare. Monui Reverendos Patres meos Societatis Jesu, ne existimationem suam in defensione librorum Molinæ periclitari sinant, & in discrimen adduci. Colo ipsos omnes ut patres, Deus scit, ut de ipsis illud usurper, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

104.

Pagina  
260.

C Proximum Baronio, & æqualis dignitas, & eadem sententia Cardinale Contarenum facit, qui libro de prædestinatione, quantum à Pelagianis Recentiores recedant, his verbis explicat. *Orti quidam sunt qui se Lutheranorum hostes atque Adversarios, Catholicaque veritatis patronos esse profiterentur, qui statim atque de natura humana imbecillitate, de arbitrij agriitudine, verba apud populum ferri audiunt. Lutheranorum doctrinam esse clamant, & cum pertinaciter arbitrij libertatem asserere volunt, hominem paulatim extollunt, divinam gratiam depriment, ipsi ex Catholicis Pelagianos sese faciunt; & ne quod in Christiana Religione caput & radix est, propagetur, & latius diffundatur impediunt, &c.* Nos tantum verba referimus, non censuramus, & id nobis licere putamus, quod Adversarius sibi licere existimat.

D Cardinale Berullium, cæteris dignitate non inferiorem, parem etiam, aut fortè superiorem fecit studium defendendæ gratiæ per se efficacis, ut refert Guillelmus Gibiufus, Congregationis Oratorij insignis Theologus, libro de libertate

105.

Pagina  
610.

E Dei &

106.

Dei &

Dei & creaturae, in Epistola dedicatoria ad Urbanum VIII. ubi ait, quod hujus sententia adeo (Cardinalis ille) studiosus fuit, ut se à contraria alienissimum profiteretur, etsi enim cultores quidem ejus admodum probaret, quod tamen eà illis mente in hujusmodi sententiam descendisse animadverteret, ut rationi humanae gratificarentur, & erga naturam liberaliores essent; nec originem illam, nec dogma inde derivatum, probare unquam potuit. Quin magno animi ardore (ita enim erga gratiam & veritatem affectus semper fuit) & repudiabat ipse, & alios quoscumque occasio tolerat, abducebat.

107. Nec usque adeo Ludovici Molinæ opinio suis placuit, ut à veteri & communi Theologorum sententia abduci eà novitate sese omnes permiserint. Reclamarunt multi, inter quos primus ac praeceptus fuit Henricus Henricus, cui honore Molinæ charior veritas fuit. Ille enim libro de ultimo fine hominis, cap. 4. expressè rejicit scientiam mediam, & docet scientiam futurorum conditionatorum in decreto conditionato fundari, & illud prius ratione in Deo præsupponere: Necessè est (inquit) in signo rationis supponere liberam quandam Dei conditionalem prædefinitionem, quâ postea novit quid esset facturum in tali rerum concursu & occasione. Et iterum: Rectè concursus Theologorum sententia docet, Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem, ex providentia perfectâ ab aeterno, in qua & per quam, tanquam perrationem, cetero omnia sciat. Et ibidem loquens de sententia asserentium propositiones de futuro contingenti in signo rationis, antequam concipiatur ulla divina voluntatis prædeterminatio, veras esse, & præcisi in seipsis, subdit: Quasi rem novam se invenisse putant, nam in hac antiqua controversia non confugiunt univèrsaliter Patres & veteres Theologi ad conditionatam præscientiam. Ac mox §. 2. Hac sententia non est necessaria pro asserenda hominis libertate, & in multis deficit. Et in Commentario littera C. Hec disputatio de præscientia futurorum conditionatorum à nobis (id est Jesuitis) ante viginti annos excitata est, & contra votum nostrum suscepta est in Italia sententia, de qua in textu.

108. Nec verò scientiam duntaxat mediam rejicit, sed ita ex professo admittit prædeterminationem physicam, ut purissimum Thomistam putes, nam ibidem initio capitis sexti ait; Non tam difficile est intelligere, ut quidam putant, quòd salvo usu nostræ libere cooperationis; Deus temperans vim sui concursus, efficaci auxilio moveat, tum physicè ex parte potentia, tum moraliter ex parte objecti. Et ibidem, ne quid addendum relinquat, solvit argumentum potissimum contrariae sententiae. Obijciunt (inquit) quidam, si causa efficax & suppositio ex qua infallibiliter sequitur effectus, est jam posita in actu, nec ea est aut unquam fuit in libertate mea; qui fieri potest ut effectus & actus sic à Deo prædefinitus antecedente voluntate, & mandandus executioni cum efficaci auxilio præveniente, manet nunc in libertate nostræ voluntatis? Quibus respondeo primò, antecedens esse causam rei, cum suo modo libero, atque ita inferri effectum liberum; alioquin Deus non assequeretur modum quem suâ providentiâ, & suarum morione intendit, nempe ut effectus in exercitio liberè fiat per causam proximam.

109. Nec demum censuram omisit, quâ Molinæ & Lessij sententiam, ut D. Augustini, & S. Thomæ doctrinæ adversam notaret, subdit enim Tom. I.

A cap. 24. In eum finem hac disputant hi Authores, ut pro libero usu nostræ voluntatis, quem aliter vix salvari putant circa implecionem præcepti, aut violationem peccati, dimicare se puerint contra impium Lutherum. Nesciunt aliter contra Hæreticos salvare usum nostræ libertatis in exercitio, quam negando ullum auxilium esse aut dici præveniens, quod sit causa proxima prædeterminans & efficax nostræ libere cooperationis & conversionis, sed esse tantum auxilium sufficiens, aut concomitans, quò homo potest uti & converti, si velit.

Nuper etiam prodiit liber de ordine, deque priori & posteriori, à Claudio Tiphano Societatis Jesu Theologo editus, in quo per multa capita scientiam mediam impugnat, & cap. 24. num. 4. dicit, Nullum alium Theologum, ante Molinam, ne per somnium quidem de illa cogitasse; nec eam ullibi vel supposuisse, vel adhibuisse ad ullam sive Scripturæ Sacrae, sive Theologiae Scholasticae, difficultatem expediendam. Et initio capitis sequentis profertur, Sententiam negantem scientiam mediam, & antiquitatem, & defensorum numero ac autoritate longè esse meliorem. Et cap. 26. post relata verba Molinæ dicentis, Triplicem scientiam in Deo esse distinguendam, nisi periculo se in concilianda libertate arbitrii nostri, & contingentia rerum cum divina præscientia, hallucinari velimus &c. statim addit. In qua Molinæ doctrina multa occurrunt improbanda: ac primùm id periculi in concilianda sine ejus distinctione nostræ libertate, cum præscientia divina, quo minus cautos, minusque intelligentes terrene se putat, non ego solus non video, sed neque ulli ante eum Doctores Scholastici, aut SS. Patres animadvertierunt. Quasi verò Dei cum causis sive liberis, sive necessariis, agendi modus ex nostra mente, nostrisque cogitandis, fingendi & distinguendi modis pendeat. Nam voluntas creata, in eo statu in quo scientia mediâ videri dicitur, ideo est libera, quia in eo si vellet, re ipsa posset facere oppositum ejus quod pro innata sua libertate factura dicitur; cum in eo etiam statu, in quo per scientiam visionis videtur, pro sua eadem libertate posset etiam, si vellet, non facere quod facit, vel oppositum facere; quidni sine addita vel cogitata ulla scientia mediâ, aut alia conditione posita, verè & perfectè fuerit libera? Demum cap. 41. num. 3. ait, Concordiam præscientiae, providentiæ, & concursus divini, cum nostra libertate, ab antiquis & præstantissimis Theologis, longè melius, solidiusque declarari, quàm ab ullis Recentioribus. Unde Mariana lib. 4. de regimine Societatis cap. 4. acriter Socios reprehendit, quòd antiquam D. Thomæ & Thomistarum sententiam deseruerint, ut novitias opiniones, ex unius privati hominis cerebro progenitas, amplectantur. Ab hoc (inquit) præclaro fonte emanarunt illi turbines & procelle quibus nostra Societas tentavit exagitare Sapientissimos Dominicanae familiae Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrinae Antistes, quàm sequi hæsterna Ludovici Molinæ commenta, cujus viri libellus ab examine Theologorū Sacrae Inquisitionis delatus fuit Romam, ubi modo liberum arbitrium acerrimè contra gratiam pro palma luctatur. Et libro de morte & immortalitate cap. 6. & 8. ubi dixit sententiam D. Augustini videri nonnullis horridam, subdit; Video quæ à Cassiano dicta sunt omnia de gratia & libero arbitrio, à viris eruditissimis nostræ ætate defendi, quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula sancta.

C

D Ex quibus facile (Amice Lector) intelliges, 111.



non usque adeo securam esse, aut existimatam fuisse, etiam à suis, Molina sententiam, ut non aliquid petendum sit, & nonnullam etiam inter ipsos Patres Societatis, hujus de qua disputamus, cum Hæreticis Pelagianis, aut Semipelagianis, concordia suspensionem esse. Nos verba referimus, non censuramus, & quod Adversario licet, nobis etiam licere putamus; ac in vitium, si quod sit, vitio coarctamur alieno, ut aiebat Hilarius, de Trinitatis arcano cum Atrianis disputaturus.

## ARTICVLVS VII.

*Altera accusatio Calvinismi, à læsa Sanctitate Dei, ex prædefinitione actus peccaminosi, & concursu ad illum, breuiter depel- litur ac profligatur.*

**D**vo sunt præcipua Calviniani erroris capita, unum circa liberum arbitrium quod destruit; alterum circa peccati malitiam, quam in Deum refundit, quo volente, quo iubente, quo instigante, peccata omnia perpetrari docet. Quæ circa primum caput objecit Adversarius, jam expedita sunt: hoc unum modo superest, ut quæ circa alterum opposuit, pariter refellamus.

**Sic ergo discurrit §. 3. num. 121. Restat aliud caput de Authore peccati, de quo etiam petunt propugnatores scientia media, quid minus ea de re Adversarij quam Calvinista dixerint. Atque hæc propriè est objectio illa quam stupidam vocat Ioannes à S. Thoma. Ait autem Calvinum ex Belcario Episcopo Metensi censuisse, Deum necessitate necessario evenire ex immutabili Dei decreto: Christum necessario proditum à Iuda, damnatum à Pilato &c. Sed hæc jam expedita sunt, dum ostendimus Calvinum, non aliam intelligere necessitatem, quam eam quam Adversarij non negant, nempe necessitatem consequentia.**

**Addit autem Pater Lemos, errasse Calvinum quia dixit, Deum ita movere ad malum, sicut ad bonum, quod nesciret distinguere inter actionem & entitatem, ut est entitas & actio, & inter peccatum, non erraturum, si diceret concurrere Deum ad entitatem, nullo autem modo movere ad peccatum. Postea quædam Calvini testimonia adducit, quibus docet Dei voluntatem nunquam tendere in actum malum, ut malus est, ita ut malitia possit ei attribui, quam vult totam penes hominem residere, penes Deum non esse nisi legitimum illius usum: diversa omnino ratione Deum atque hominem circa eandem actionem versari, quando illa mala est; & ita quidem ut Deus hominum perfidiam nolit, ut ei non placeant mali actus, quatenus mali sunt, ut in eis inculcata maneat Dei iustitia; habere tantum idoneos fines, bonos, sanctos, Deo dignos, propter quos decernat actus qui mali sunt, atque ad eos efficaciter moveat. Quibus expeditis, tandem quasi ovans ac triumphans exclamat: Et post tam discretam actionis & malitiae distinctionem apud Calvinum, P. Lemos in facie Solis hujus, dicere non est verius, idè illum errasse, quod nesciret distinguere inter actionem & entitatem, ut est entitas & actio, & inter peccatum. Videat æquus Lector, & iudicet, atque hoc etiam recolat, quod dicit P. Ioannes à S. Thoma, audito Patre Lemos, qui sic erat exorsus ad Cardinalem Perronium, Illustrissime Domine, ego dicam omnia quæ Calvinus dixit in hæc**

**A materia, tacuisse Perronium, & annuere visum. His præmissis.**

**Sic ratiocinatur Adversarius num. 125. Calvinus verbo negat, re autem ipsa fateatur, Deum esse Authorem peccati; quod facere non potest, nisi concipiendo in Deo quendam modum se habendi circa malas actiones, cui propriè conveniat hoc quod est esse auctorem peccati. Quærimus ergo quis sit ille modus, & quid superaddat ad eum etiam modum quem Adversarij maximam partem concipiunt? Dicunt enim illi Deum decernere antecedenter & absolute, atque efficaciter, ut homo faciat actionem quæ mala est; & ut necessariò necessitate consequentia, oritur ex tali decreto, illum faciat, & ut faciat cum cognitione prohibitionis, & malitia, ac proinde in omnibus circumstantiis à quibus est impossibile malitiam abesse, atque in eum finem imprimere homini motionem efficacem. Et licet homo nequiter sequatur illam motionem, Deum tamen iuste id facere ad sanctè, quod & idoneas habeat in aditu sapientia sua ita faciendi rationes idoneas que fines intendat, & modos etiam idoneos servet in huius operis executione. Quærimus inquam, quid ultra citare Calvinus dicat, nam quod negat liberam esse hominis actionem hæc, constat non rejicere rem illam quæ apud Adversarios est libertas, quæ scilicet excludit tantum coactionem, & ut ipsi putant, necessitatem consequentis, servatque indifferentiam iudicij. Cætera verò utriusque sententia, inter se in quo discrepent, inquirimus.**

**Nec quisquam dicat (subdit P. Annatus) ut est varium, incertumque, ac versatile ingenium hæreticorum, Calvinum dicere contraria, & quæ astruit iis locis quæ à nobis allata sunt, aliis destrueret. Proponenda enim essent testimonia illa priorum destructiva, quæ nunquam extant. Et cum nos contradictionis alteram partem aperit producimus, Adversarij nisi producant alteram, causa nobis erit adjudicanda. Præsertim cum & Calvinista rigidi, qui contra molles Calvinistas inhaerunt, solvenda huius difficultatis rationem, quam illi exhibuerunt contra quos disputamus, ardentè amplectantur; ut videre est apud Amesum contra Bellarminum, & Molinam in Anatomie Arminianismi, quos diceres, dum quæstionem hæc tractant, audisse in Schola Didaci Alvarez.**

**Mirum est sanè Adversarium, qui ex serâ Calvinii lectione, verè ejus sensum eruisse se putat, Calvinii tamen modum nõ advertisse scribendi varia, opposita, & pugnantia, vel ut ratio diversa rerum ferebat, vel ut spiritu suo vertiginis agebatur. Et crevit admiratio, dum legi caput quartum libri secundæ institutionum, ex quo P. Annatus desumpsit præcipua testimonia quæ nobis objicit: nam in eodem capite plura scribit Calvinus, ex quibus manifestè colligitur, ipsum totum quod in peccatis est de materiali quàm de formali reperitur, Deo ut auctori tribuere. Nam ibidem docet, Deum duobus modis excæcare mentes infidelium, & indurare corda peccatorum. Primò subtrahendo auxiliū divine gratiæ illuminantis mentes hominum, & emollientis corda illorum: quem modum Catholici cū Augustino admittunt. Secundò, quia ad exequenda sua iudicia, per ministrum iræ suæ sathanam, & consilia eorum destinat quò visum est, & voluntates excitat, & conatus firmat. Sic ubi recitat Moyses, Sebon Regem transiit non dedisse populo, quia induraverat Deus spiritum ejus, & cor obfirmaverat: finem consilij mox subiungit, ut daret eum in manus nostras inquit. Ergo quia peritium Deus volebat, obstinatio cordis, divina fuit ad Deum**

preparatio. Et num. sequenti explicans quomodo Deus induravit cor Pharaonis, subdit: *An induravit non emolliendo? Id quidem verum est, sed plus aliquid fecit, quod obstinatione peccus eius obfirmandum SATHANÆ MANDAVIT.* Item num. 5. dicit, *Divinitus efficaciam erroris ac seductionis immitti, ut credant mendacio qui veritati non paruerunt.* Idem docet lib. 1. cap. 18. ex quo etiam Adversarius sumpsit aliud testimonium quod primo loco nobis objicit: nam ibidem num. 2. ait. *Sathan excocare mentes infidelium, ac subdit: Et unde hoc, nisi quod a DEO IP SO MANAT EFFICACIA ERRORIS, ut mendacis credant qui remuerunt parere veritati.* Et ibidem num. 3. loquens de peccato Chaldaeorum qui spoliaverunt Job, & de inobedientia filiorum Hely, qui non obtemperaverunt patri suo, subdit: *Fam satis aperit ostendi, Deum vocari eorum omnium Auctorem, quæ isti Censores (sic Theologos appellat) volum otioso tantum ejus permissu contingere.*

115. Ex his locis tria possunt argumenta defumi, quibus manifestè convincitur, Calvinum, non solum materiale, sed etiam formale peccati, Deo ut auctori tribuere. Primum est: Seductio, error, mendacium, non solum materiale, sed etiam formale peccati significant: Sed Calvinus locis allegatis docet efficaciam erroris, seductionis, & mendacii, à Deo ut auctore promanare: Ergo non solum materiale, sed etiam formale peccati, in Deum ut auctorem reducit.

116. Secundum: Calvinus asserit Deum esse eorum omnium auctorem, quæ Theologi docent ipsum otioso tantum permissu contingere: At Theologi docent Deum solum circa formale peccati permissivè se habere, non autem circa materiale, quod cum sit aliqua entitas creata, non potest subterfugere divinam causalitatem, sed indiget positivo Dei influxu, ut in rerum natura existat: Ergo Calvinus apertissimè docet, Deum esse auctorem peccati, non solum quantum ad materiale, sed etiam quantum ad formale, & utrumque suâ motione & causalitate contingere; & P. Annatus qui id negat, se peregrinum in Calvinii doctrina demonstrat.

117. Tertium: Qui alteri mandat ut malam actionem exequatur, censetur esse illius causa, quantum ad totam malitiam & deformitatem quam continet; nam opus quodcumque, ex communi consensu omnium Gentium, magis pertinet ad imperantem, quam ad exequentem: Sed ex Calvinio citato, Deus mandat & præcipit Sathanæ, ut homines tenet, & in errorem ac peccatum inducat: Ergo, juxta Calvinum, peccata hominum, quantum ad totam malitiam & deformitatem quam continent (quod horribile dictu est) magis pertinet ad Deum ut Auctorem, quam ad ipsum Sathanam suaforem.

118. Innumera alia extabant loca in Calvinii institutionibus, quibus expressè, & in terminis dicebat, Deum esse Auctorem peccatorum, etiam quantum ad malitiam & deformitatem, quam de formali important; sed ea in posterioribus editionibus à Calvinistis erasa sunt, ut testatur Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, Tomo 1. in secundam secundæ pagina 53. ubi hæc habet: *His subjungam Calvinii institutiones nunquam fuisse recusus, quin pleraque, & quidem maximi momenti, vel ab ipso cum viveret, vel à Ministris post ejus mortem, mutata sint, ut in articulo de causa peccati: in prioribus quippe editionibus,*

Tom. I.

A *clare & distinctè, Deum peccatorum, non tantum secundum substantiam, sed etiam secundum MALITIAM ET DEFORMITATEM, auctorem statuit: in posterioribus verò, etsi rem ipsam retineat, mollioribus tamen verbis, & aliquo pacto ambiguus ad evadendum utitur.* Et post tam clara testimonia, & evidentiæ argumenta, P. Annatus in facie Solis hujus dicere non est verius, Calvinum distinguere inter materiale & formale peccati, seu inter ejus entitatem & malitiam; & primum tantum Deo ut auctori tribuere, non verò secundum: illumque, si usum vocum respiciamus, satis religiosum esse, ut caveat ne Deum Auctorem peccati esse dicat, ut scribit num. 109. in fine.

B Certè sinceriores & cautiore sunt hac in parte alij Theologi Societatis, qui ingenuè profitentur, Calvinum utrumque Deo ut auctori tribuere, nec illum sycophantam, à crimine illo absolvunt. Nam P. Martinonus in Anti-Janfenio disp. 6. sect. 2. num. 16. hæc habet: *Non est dogma Pelagianum, sed Calvinisticum, abominabile apud omnes Catholicos, & vel ipsis Calvinistis pudendum, qui tam sedum & execrandum magistri sui errorem, quoquo modo possunt dissimulare conantur; dicere Deum punire aliter peccata novis peccatis, quam permissivè, subtrahendo gratiam suam, & specialem protectionem contra insultus diaboli, aliaque peccandi occasiones; sed verè positivè per seipsum, vel per Sathanam, & alios justitia sue ministros, ad nova peccata inducere, instillere, & cogere, seu necessitare; esseque Auctorem tyrannidis Achabi, incestus Absalonis, convitiatorum Semel, & aliorum id genus peccatorum, quæ Doctores Catholici, Dei tantum permissu evenisse volunt; ipsumque Sathanam excocare infidelium mentes, id non esse aliunde, nisi quia à Deo ipso manat efficaciam erroris, ut ait Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 25. & in cap. 1. Epist. ad Roman. versu 24. Qui blasphemus error damnatur à Tridentino sess. 6. can. 6. anathematizante eum qui dixerit, Deum aliter quam permissivè operari mala opera.*

C Idem docet Valentia, alij Societatis Theologis, in concertationibus adversus Lutheranos & Calvinistas exercitator. Nam 1. parte quæst. 19. disp. 1. puncto 3. assertione 4. ad hoc caput totam Catholicorū cum hæreticis controversiam revocatur. *Vtrum scilicet malum culpe in divinam voluntatem cadere possit, sub aliqua ratione boni, quæ contineatur aliquo respectu peccati, ad quodpiam bonum; ita quidem ut suâ rati ratione, verè & ex certa intentione, & rectè atque justè, Deus velit ipsum peccatum in se tanquam objectum quoddam materiale, immediatum & per se suæ voluntatis; & ad illud etiam interdum hominem invitet, atque stimulet? Hocque sensu interpretatur antiquos & recentiores Hæreticos, Simonem Magum, Lutherum, Bucerum, Melancthonem, à qua impietate ait respicuisse, sed illi Calvinum & Bezam mordicis adhæsisse; illum quidem libro 1. Instit. cap. 17. sect. 5. & 6. & cap. 18. sect. 1. istum verò in secunda parte responsionis suæ ad acta colloquij Mompelgartensis, pag. 117. & sequentibus. Nam contendit eo loco Beza, Deum non modo permittere, sed etiam velle peccatum, tametsi non malè, neque ut malum, sed bene; ut bonum quoddam, relatum quidem ad ipsum Deum, qui scilicet peccatum velit ob rationem aliquam boni, nempe ut per illud puniat alia peccata; vel ut ostendat in eo puniendo justitiam suam; aut in eo remittendo misericordiam. Atque eatenus solum*

Y y ij

*Beza ibi & Calvinus lib. 2. cap. 4. sect. 2. negant Deum esse auctorem peccati, quasi peccatum ut malum & male Deus velit, aut ad illud ut malum moveat.*

121.

Idem luculenter confirmat Beccanus, qui plures etiam cum Lutheranis & Calvinistis in Germania concertationes habuit, tomo 1. Summæ Theologiæ cap. 16. testimonio Davidis Paræi, famosi Calvinistæ, imò & Calvinistice factionis in Germania Præcipui. Verba ejus, quia lepidissima sunt, placuit hic transcribere. *Noster (inquit) Serarius & ego eramus Autumno superiori apud accidulas Schualbucenses. Fbi comode incidimus in Davidem Paræum, Calvinistam, Professorem Heidelbergensem. Salutavimus hominem perhumaniter, & ille vicissim nos. In progressu amicè & modeste mihi objecit, quòd in quadam disputatione, qua typis edita est, scripsissem, Deum Calvinistarum esse auctorem peccati. Respondi me solide id probasse ex verbis & sententiis Calvinii. Tum ille, esto sanè, inquit, si ista Calvinii sententia, at non Calvinistarum. Hic subridens Serarius, ita subjecit. Domine Paræe, hac lis facile inter vos, ut video, componetur. Sola particula STARUM expungatur, & res erit salva. Placuit hoc Paræo, & colloquium solum est. Vix Moguntiam reversi eramus, cum ecce Paræus ad me Epistolam dat, in qua inter alia monet nos nostris officij, hoc carmine.*

*Vos quoque promissi memores delete liturâ,  
Ingenua, STARUM, impigistis quod male nostris.  
An non fatetur hoc carmine Deum, ex sententiâ Calvinii, esse auctorem peccati, tamen si Calvinum in hoc sequi ipse non velit? Hæc Beccanus. Ubi ex ipsa Calvinistarum confessione convincit, Calvinum revera Deum fecisse auctorem criminum, & in eo errore, quem vel ipsæ aures horrent, Calvinistarum plurimos à Calvinio defecisse. Ut quid igitur P. Annatus absolvit ab eo crimine Calvinum, quem nec ipsi rigidiores Calvinistæ absolvunt? Certè & Calvinio meritò tandem gratulari possumus, quòd aliquem ex Jesuitis sibi propitium habeat, ipsique Adversario, Calvinum defendenti, hæc Augustini verba contra Julianum rursus objicere: *Monstrabo tibi quòd tu ipse sic adjuvas Hæreticorum damnabilem & nefandè impietatis errorem, ut nullum talem patronum nec in suis dilectoribus valeant invenire.**

122.

Ex his facile intelligitur, Calvinum triplici titulo facere Deum Auctorem peccati. Primus ac præcipuus, & qui cæterorum radix, & fundamentum est, sumitur ex eo quòd docuerit Deum movere voluntatem hominis ad actus malos, solum spontaneè, & non liberè, ut jam satis multis ostendimus supra, & ipsemet apertè profitetur lib. 2. Instit. cap. 3. §. 5. his verbis: *Voluntatem autem necessitate in malum trahi, vel duci, quamvis libertate abdicatâ, ostendit eos qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt &c.* Supposito enim quòd Deus voluntatem moveat ad actus malos & peccaminosos, eâ motione quæ indifferentiam voluntatis auferat, & quæ voluntatem necessitet, evidenter sequitur, malitiam & deformitatem peccati, non posse in voluntatem creatam, sed solum in Dei motionem reduci; quia voluntas motu solum spontaneo mota & excitata, & carens indifferentiâ actuali, & potentiâ ad oppositum, non potest in suos actus influere malitiam moralem, quæ sine libertate indifferentiæ, & potentiâ ad oppositum, subsistere nequit; ut in motibus primò primis, & actibus indeliberatis constat. Unde si

A quæ malitia moralis in ejus actibus reperitur, debet in Deum ut in Auctorem necessariò refundi. Si ergo Calvinus alicubi negat, Deum esse Auctorem peccati, hoc solum negat quoad verborum sonum, & reipsa rationem prædictæ causæ ei tribuit, eo ipso quòd docet voluntatem hominis ad actus malos spontaneè solum moveri; aut sibi manifestè contradicit, cum hæc nullâ ratione conciliari possint.

In eadem contradictione versatur Beza (qui Calvinio in hoc errore adhæsit, ut testatur Valentia supra citatus) dum in responsione ad Sebastianum Castellionem, de æterna Dei prædestinatione, in refutatione secundæ calumniæ, hæc scribit: *Quærenda est vitij origo in instrumentorum SPONTANEO MOTU, quò sit ut Deus justè decreverit quòd illi injustè fecerunt. At dices non poterunt resistere Dei voluntati, id est decreto, fateor, sed sicut non poterunt, ita noluerunt. Verum non poterant aliter velle: fateor quoad eventum & energiam, sed voluntas tamen Adami COACTA NON FUIT. Hæc enim duo sibi invicem opposita sunt, homini malitiam actionis imputari, & ab ea abstinere non posse, quia nemo peccat in eo quòd vitare non potest.*

Altera ratio est, quæ non potest Calvinus non efficere Deum auctorem peccati, quòd docuerit ipsum movere voluntatem hominis ad actus malos, motione morali, præcipiendo diabolo ut homines tentet & ad peccatum inducat; motio enim moralis, cum non sit præcisiva, sicut motio physica, non solum ad entitatem & substantiam actus, sed etiam ad ejus malitiam & deformitatem, secundariò saltem & indirectè, se extendit, ut declarabitur Tractatu sequenti, disputatione 8. ubi de modo, quò actus mali diviña subjiciuntur providentiæ, fusè agemus.

Tertiò Calvinus Deum fecit auctorem peccati, eo quòd docuerit ipsum non solum permittere, sed etiam velle peccatum, non reduplicativè ut malum est, sed quatenus induit quandam rationem boni, seu ut est medium quoddam conducens ad manifestationem suæ justitiæ, vel misericordiæ, ut ex Valentia, his in rebus fide dignissimo, & in rimanda Hæreticorum mente versatissimo, supra declaravimus. Unde juxta Calvinum, Deus ad omne genus peccati, etiam cum deformitate sumpti, comparatur sicut ille qui eligit mendacium, alicujus commodi & utilitatis causâ honestatum; sic enim ille Hæreticus vult Deum velle non solum malum pœnæ, sed etiam culpæ, & ad istud etiam interdum hominem invitare atque stimulare, quatenus ad bonum suæ justitiæ vel misericordiæ conducit; atque ex hoc perversissimo errore, non alio ordine reprobationem ad pœnam æternam, quàm quò prædestinationem ad gloriam disponit; quia perinde censet ad reprobi pœnam Deum peccata ut media velle & eligere, uti bona opera ad gloriam conducentia.

Ex quibus facile intelliges, non minùs vastum Chaos inter nos & Calvinum jacere, quàm quò Abraham epuloni inclamabat, illum à Lazaro distare & esse semotum: Thomistæ enim, nec docent Deum movere voluntatem ad actus malos, eâ motione quæ solum spontaneitatem relinquit, adimatque indifferentiam, & potentiam ad oppositum, ut fatetur Adversarius, locis supra relatis; neque existimant Deum motione morali, id est præcepto, & suasionè, ad actus malos inducere; aut ipsum velle peccatum, ut induit quandam

rationem boni, & ut est medium quoddam condu-  
cens ad manifestationem suæ iustitiæ, vel mi-  
sericordiæ. Nec denique eodem modo de repro-  
batione, quò de prædestinatione loquuntur: nam  
merita quidem volunt esse prædestinationis effe-  
ctus, non tamen peccata reprobationis, sed dun-  
taxat ipsorum permissiones: de quo in Tracta-  
tu de prædestinatione. Unde quadruplex ad mi-  
nus Thomistas inter & Calvinum versatur discrimen,  
quod tantum eos separat, quantum ab erro-  
re veritas distat: quare non immerito Joannes  
à S. Thoma Adversariorum argumentum *stupi-  
dum* appellat; illa enim Thomistica & Calvinia-  
na doctrina discrimina, adeò manifesta sunt, ut  
nemo, nisi omnino bardus, aut stolidus, non va-  
leat ea percipere.

127. Ex his etiam, Adversarij objectiones nedum  
solvuntur, sed etiam sponte liquefcunt, & in fu-  
mum & auras resolvuntur. Patet enim discrimen  
quod ex Belcario Episcopo Metensi Joannes à  
S. Thoma refert, nempe Calvinum dixisse,  
*Deum necessitate miseris ad flagitia &c.* nedum  
esse verum & legitimum, sed etiam radicem &  
fundamentum cæterorum: error enim quò Cal-  
vinus Deum facit auctorem peccati, ut rivu-  
lus à fonte promanat ex alio quò asserit Deum  
movere voluntatem hominis ad actus sive bonos  
sive malos, solum spontaneè & non liberè, ut  
suprà ostensum est. Unde Tridentinum, ut erro-  
rem illum penitus elideret, & in suo fonte &  
principio præfocaret, sess. 6. can. 6. sic definit:  
*Si quis dixerit non esse in potestate homi-  
nis, vias suas malas facere, sed mala opera ita  
ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed  
etiam propriè & per se; adeò ut sit proprium ejus  
opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pau-  
li. Anathema sit.* Quibus verbis, Calvinum id-  
circo in fide errasse ostendit, & Deum non minus  
malorum quàm bonorum actuum auctorem fecisse,  
quò docuerit non esse in potestate homi-  
nis vias suas malas aut bonas facere: nimirum  
quia Deus ad actus sive bonos sive malos spontaneè  
solum & non liberè voluntatem hominis movet,  
nec potentiam ad oppositum relinquit. Unde loco  
suprà adducto inquit: *Voluntatem necessitate  
in malum trahi, quàmvis libertate abdicatâ,  
offendit eos qui inter necessitatem & coactionem  
distingere nesciunt.* Et Beza, qui Calvinum  
mordicus in hoc errore adhæsit, ait ubi suprà:  
*Quærendam esse vitij originem in instrumentorum  
spontaneo motu &c.*

128. Constat etiam ex dictis, optimum esse discrimen  
à Patre Lemos adductum in Congregatione  
de auxiliis, dum asseruit, *Errasse Calvinum, quia  
dixit Deum movere ad malum, sicut ad bonum,  
quòd nesciret distinguere inter actionem & entita-  
tem, ut est entitas & actio, & inter peccatum: non  
erraturum, si diceret concurrere Deum ad entita-  
tem, nullo autem modo movere ad peccatum.* His  
enim verbis, eximius ille Theologus, secundum  
& tertium discrimen suprà adductum insinuavit:  
nimirum quòd Calvinus erraverit, & Deum fecerit  
Auctorem peccati, Tum eo quòd docuerit  
ipsum movere voluntatem hominis, motione  
morali, ad actus malos, sicut ad bonos, præci-  
piendo diabolo ut homines tentet, & ad pecca-  
tum inducat: Tum etiam, quia existimavit, Deum  
velle non solum malum pœnæ, sed etiam culpæ,  
quatenus aliquam rationem boni conducentis ad  
manifestationem divinæ iustitiæ vel misericordiæ  
induit, subindeque inter entitatem & deformita-

Tom. I.

A tem peccati non distinxit, sed utramque in Deum  
ut Authorem retulit.

Nec valent Calvinii testimonia quæ P. Anna-  
tus in contrarium objicit. Tum quia id quod his  
locis Calvinus asserit, in aliis suprà à nobis addu-  
ctis penitus destruit. Tum etiam, quia id non  
potest stare cum eo errore, quò asserit Deum ad  
actus sive bonos, sive malos, spontaneè solum  
movere, ut suprà ostensum est. Addo, hæc loca  
facile posse exponi, dicendo cum Valentia suprà  
citato, quòd quando Calvinus ait Dei voluntatem  
nunquam tendere in malum, nec velle homi-  
num malitiam, solum intendit Deum eam non  
velle per se, & quatenus formaliter habet ratio-  
nem mali; sed per accidens tantum, & inquan-  
tum induit rationem boni, seu medij ad manifes-  
tationem suæ iustitiæ, vel misericordiæ condu-  
centis. Et mirum est, quòd Adversarius ad hoc  
non advertit, & Calvinum ab eo errore absol-  
vere, atque, ut ita dicam, *Aethiopem illum la-  
vare tentaverit*, ut in Thomistas vehementius  
inveheretur, eorumque doctrinam ut Calvinia-  
nam traderet. Sed certè operam & lixivium  
perdidit: scriptum est enim Jeremia 13. *Nun-  
quid Aethiops potest mutare pellem, aut Pardus  
varietates suas?* Videat ergo æquus Lector, &  
judicet, an non verisimile sit quòd refert Joannes  
à S. Thoma, Cardinalem Perronium, auditis

C his quæ P. Lemos de doctrina Calvinii exposuit,  
tacuisse, & annuere visum. Nihil enim verius,  
quàm errasse Calvinum, quòd non solum entita-  
tatem, sed etiam malitiam peccati in Deum ut  
auctorem reduxerit.

Ex dictis etiam liquet, quàm frivola sit Adver-  
sarij ratiocinatio, suprà relata; facile enim res-  
pondetur, modum quò Calvinus docet, Deum  
concurrere ad malas actiones, tria superaddere  
ad eum quem Thomistæ admittunt, nimirum  
necessitatem absolutam, & excludentem indiffe-  
rentiam actualem, seu potentiam ad oppositum;  
motionem moralem ad entitatem actus peccami-  
nos; volitionem peccati, ut induit aliquam ra-  
tionem boni, & habet rationem medij condu-  
centis ad ostensionem divinæ iustitiæ, aut mi-  
sericordiæ, ut suprà ostensum est.

Nec obstat quòd Amelius & Molinaus, sen-  
tentiam Thomistarum amplectantur; illi enim,  
& multi alij ex Calvinistis, errorem Calvinii, ut  
fœdum & execrandum, ejurarunt, ut suprà ex  
Valentia & Beccano visum est. Utinam in aliis  
etiam fidei controversiis à Calvinii doctrina ab-  
horrent, & Scholæ Thomisticae adhærerent,  
non longè essent à regno Dei. Utinam etiam So-  
ciniani & Arminiani, in quæstionibus de gratia  
& libero arbitrio, in Scholâ Didaci Alvarez au-  
diissent: in ea certè non didicissent Semipelagia-  
nismum, quem interpolaverunt; nec semina fidei  
& gratiæ in nuda natura collocarent, neque gra-  
tiam naturæ pedisse quam facerent; aut eam,  
quantum ad efficaciam & usum, libero arbitrio  
subjicerent, ut suprà ex Francisco à S. Augustino  
vidimus.

#### ARTICVLVS VIII.

##### Depulsio Iansenismi.

Iberius interdum aliqui familiaribus, aut ea-  
rundem partium studio conjunctis insur-  
rant, Thomistas in eodem cum Iansenio luto hæ-  
rere; ac majori arte aut dolo alij, dum toto

Y y iij

impetu, totisque viribus in Janseniam ferri simulant & videri volunt, obliquè & per latus Thomistas petunt; & sibi viam parant, ut quod animo diu meditantur, aliquando palam faciant, & fidem non agrè reperiat cuius toties periculum fecerint, aut gustum aliquem dederint; Thomistas à Jansenij sententia, nec quantum latus unguis est, in diversum abire. Sed dum eorum artes, quæ nos minimè latent, ridemus, & fidei ac Scholæ nostræ doctrinæ securi, expectamus ut ab his latebris in apertum veniant; interim Catholicam de decretis & auxiliis per se efficacibus Thomistarum sententiam, à Janseniana doctrina diserepare plurimum, nihilque cum ea habere commercij, breviter demonstrandum suscipio.

331. In primis, Cùm juxta Patrem Annatum, & alios Societatis Theologos, qui contra Jansenium scripserunt, idem sit, in quæstione de gratia efficaci, Jansenij & Calvinii error: omnia quæ hucusque adduximus ad probandum Thomistas differre à Calvino, pariter demonstrant eos discrepare à Jansenio; & Pater Annatus pugnancia scribit, dum eos Calvinistis implicat, & à Jansenianis sejungit.

332. Deinde, Idem Author locis supra adductis, varia Jansenium inter & Thomistas assignat discrimina: nam in libro de libertate incoacta contra Apologiam Jansenij cap. 2. §. 4. hæc scribit: *Inde processit error Jansenij, quod putaverit se eodem modo philosophari posse quò Thomista, cum tamen diversissima sint eorum principia: nam Thomista cum victrice concupiscentia verbi gratiâ ponunt sufficientem gratiam ad resistendum, nec putant quidquam requiri in altero casu, quod habeat rationem principij & virtutis actiõe, & ideo dicere possunt similitudinem esse potentiam ad utrumlibet oppositorum immediatè ac proximè; neque unquam sensum compositum & divisum sic explicaverunt, ut dicerent voluntatem posse unum in sensu composito, & in sensu diviso, hoc est successive, atque ex hypothesi, quòd fiat mutatio in prærequisitis, posse alterum. Nunquam Thomista ita sensum illum compositum & divisum explicaverunt.*

Et contra Commentatorem cap. 2. §. 1. *Quem inveniunt Janseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium esse quoad exercitium consensum quem voluntas præbet motioni gratiæ, quantum illa inheret, quomodo necessarius est amor beatificus, quantum durat visio? Quem inveniunt qui dixerit voluntatem divinæ gratiæ prædeterminatam, careere proximè ad dissentiendum potentiâ? Quem dabunt qui distinctionem sensus compositi & divisi sic interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quantum illa motio aberit, & advenerit alia? Quibus verbis tria inter Jansenium & Thomistas assignat discrimina, quæ ex supra dictis patent. Item in libro Gallico idioma scripto, cui titulus est, *La conduite de l'Eglise*, parte 2. decem & octo doctrinæ Thomisticæ à Jansenianæ differentias indicat, & eleganter ac eruditè prosequitur. Qui plura cupit legat librum à Patre Bernardo Guiart, Doctore Parisiensi editum, cui hunc titulum præfixit: *Discrimina doctrinæ Thomisticæ à Jansenianæ*. Legat etiam librum P. Baronij de libertate humana & gratia divina, disp. 1. §. 3. ubi conferendo doctrinæ Thomisticæ & Jansenianæ principia, validissimè repellit fictitium illum cum Jansenio consensum, quem Theophilus Raynaudus in libro contra Citiacos singulis Diatribis, ac penè paginis nobis objicit.*

Tertiò, Thomistarum doctrinam de gratia per seipsam efficaci, nihil cum Janseniano dogmate habere commercij, ex eo patet, quòd Innocentius X. post editam adversus quinque Jansenij propositiones Constitutionem, sæpius viva voce oraculo declaravit, se non intendisse doctrinam de gratia per seipsam efficaci, directè, vel indirectè attingere, sed id duntaxat definire, in quo Thomistæ & Jesuitæ conveniunt, ut ingenue fatetur P. Annatus, in libro cui titulus est, *Ca- villi Jansenianorum*, pagina 29. ubi hæc scribit: *Id in quo convenimus (Thomistæ & Jesuitæ) sancit Pontifex, id in quo dissidemus, disputationi nostræ reliquit. Sed est, inquis, necessaria consequentia à positione illorum principiorum, ad negationem gratiæ prædeterminantis? Respondeo hoc ipsum inter nos disputari, an scilicet necessaria sit illa consequentia, nobis videtur, illis non videtur. Viri melius sentiant, nondum definitum est. Vicerint illi qui suam sententiam melius probaverint, meliusque defenserint. Atque hoc est Pontificem attingere noluisse controversiam inter nos & Thomistas disputatam de gratia per seipsam efficaci. Et reverà ab hoc alienam penitus fuisse mentem Pontificis, non solum plura viva voce oracula testantur, sed etiam decretum ab ipso editum in Congregatione generali Sanctæ Inquisitionis, habita die 23. Aprilis anni 1654. quò declaravit se celebrem illam de gratia per se efficaci controversiam, in eodem in quo erat in Congregatione de auxiliis statu relinquere; sancivique in ea quæstione debere observari decreta Pauli V. & Urbani VIII. quæ strictissimè prohibent, ne quis sententiæ affirmanti vel neganti gratiam per se efficacem, aliquam erroris notam inurat.*

Sanctissimus etiam Pontifex Alexander VII. qui feliciter Ecclesiæ regit, doctrinam de gratia per se efficaci, sanam & catholicam esse declaravit Brevi dato Romæ die 29. Julij anni 1663. & ad Venerabiles Archiepiscopos & Episcopos Regni Galliarum directo. Cùm enim quidam articuli, doctrinam gratiæ per se efficaci, in eo sensu quò in Schola Thomistarum docetur, continentes, ab illustrissimo & eruditissimo viro, Domino Gilberto de Choiseul, Convenarum Episcopo, ad ipsum fuissent transmissi, gratulatus est Pontifex Prælati Gallicanæ Ecclesiæ, quòd eorum exemplò, consilio, & operâ, plures ad saniorum doctrinam fuissent inducti. Verba Pontificis sunt.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem. *Ut nulli vestrum incomper- tum est, quantum sollicitudine Innocentius X. felicis recordationis Prædecessor noster, Jansenianam hæresim radicibus evellere conatus fuerit; quantum ipsi curâ & instantiâ idem propositum indefinenter prosequi non destiterimus: ita nobis præhæ comperum est, atque perspectum, quam indefesso studio plerique vestrum Constitutiones Apostolicas in Jansenij causa editas executioni mandari procuraverim. Illud autem non mediocri gaudio animum nostrum perfudit, quòd litteris ex Gallia recens allatis, accepimus illorum in dies crescere numerum, qui recta sapiunt, præfatis Constitutionibus sese ultro subjicientes; illorum verò decretere, qui a veritate auditum averunt, & variis inanum interpretationum argumentis decepti. Decretis Apostolicis resistunt. Is fuit egregius sanè laborum vestrorum fructus, majoris scilicet & prioris partus, ut multi, iique cæterorum nomine, Primarij,*

exemplo vestro, consilio, & operâ ad SANIOREM DOCTRINAM INDUCTI, eâ quâ par est, ut credimus, animi demissione, sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, que ipsis à Sede Apostolica præscribentur.

Articuli verò illustrissimo Conventarum Episcopo oblati, & per eundem ad Summum Pontificem transmissi, isti sunt.

I.

**C**um ex S. Augustini sententia, quam tota S. Thomæ Schola defendit, gratia efficax voluntatem indeclinabiliter & infallibiliter, citra tamen necessitatem, vi divinæ motionis selectens & determinans, ad singulos Christiane pietatis actus necessaria sit, nunquam contingit, ut vel oremus, sicut oportet, nisi cum ea operatur ut oremus, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum; nec ut Dei mandata servemus, nisi cum illa facit ut in ejus præceptis ambulemus; nec denique ut inimici tentationes superemus, nisi cum nobis victoriam largiatur. Et tamen cum nonnunquam justis tentationibus succumbant, & in varia peccata prolabantur, etiam cum illa vitare imperfectè ac remissè volunt atque conantur, manifestum est justis in illo imperfectè ac remissè voluntatis statu, vitio licet suo mandata violantibus, efficacem illam & victricem, quâ præsentem nunquam vincimur, gratiam non adesse.

De his ergo justis, quibus illa magna non adest gratia, licet parva & imperfecta non desit, verè urrumque dici potest. & potuisse illos Dei mandata servare, tentationique resistere, eosdemque alio sensu non potuisse. Poterunt enim prorsus: quia non solum liberi arbitrij virtutem & gratiam habituales habuerunt, sed etiam gratiam actualem, quæ sufficiens dici potest, Thomistarum sensu, qui gratia per se efficacis necessitatem supponit.

At quia absente gratiâ efficaci, nunquam contingit ut voluntas sicut oportet tentationi resistat, constantique est apud Thomistas dogma, gratiam sufficientem ab efficaci separatam, non completi omnia ad piè agendum necessaria: ideo vstratissimâ Scripturis, Patribusque locutione, & Thomistis omnibus probatâ, hoc sensu dici potest, justos illos ejusmodi sufficienti gratiâ instructos: tentationi cui succubuerunt resistere non potuisse: quia nimirum ejusmodi potestatem non habuerunt, quæ complete retur omnia ad agendum necessaria; cum gratiam efficacem, ad agendum utique necessariam, non habuerint.

Quare cum dicimus nos sine gratia per se efficaci non posse agere, id hoc uno sensu intelligimus, cum cui desit gratia illa per se efficax, non habere omnia que requiruntur ad actû agendum.

II.

Gratia interior duplex est: alia efficax quæ semper producit illum effectum ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum quem non producit.

Prior gratia ea est quam simpliciter, propriè, & absolute efficacem Thomistæ vocant: huic resisti quidem semper potest, ut iidem docent; at nunquam ita resistitur, ut effectû illo privetur ad quem impellit voluntatem: quod aliis verbis sic exprimentur, ut resisti posse dicant in sensu diviso, non autem in sensu composito.

Secunda autem ea est quam tum excitantem, tum inefficacem, tum sufficientem, idem significantibus verbis, vocant; huic verè resisti ac renitur voluntas, eamque eo effectû privatur ad quem excitat, & ad quem potestatem largiatur, superius explicato Thomistarum sensu sufficientem. Potest

**A** quidem illi voluntas consentire, nec tamen, si absit gratia efficax, nunquam consentit; non defectu antecedenti potestatis, sed liberâ sui ipsius in oppositum determinatione.

Sed quamvis illa gratia per se spectata, effectû illo careat ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur; adeoque falsum sit hoc sensu omnem Christi gratiam semper habere cum effectum quem Deus vult, si tamen spectetur ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta, merito hoc sensu efficax dici potest, quia semper id in corde hominis operatur, quod Deus absoluta voluntate intendit. Certum est enim apud Thomistas, auxilium sufficiens respectu unius actûs, semper esse efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis destinatur: adeoque apud illos omnis gratia est efficax alicujus effectûs, ejus nimirum ad quem proximè ordinatur, & Deus absoluta voluntate intendit, juxta illud Isaie: Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.

III.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate: quamvis enim gratia per se efficax infallibiliter & inseparabiliter voluntatem ad agendum determinet, atque ita nunquam voluntas illi actû dissentiat; non tamen inducit necessitatem, quia non tollit dissentiendi potestatem. Est ergo perpetuò in homine lapsò illud quod Thomistæ statuunt activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil verat; dummodo ab hoc verbo semoveas illum sensum, ut voluntas per efficacem gratiam mota credatur nunc consentire, nunc dissentire: sive quod idem est, nunc actualem consensum, nunc verò actualem dissensum, cum ejusmodi gratia componere.

IV.

Tantum abest ut Semipelagiani ideò hæreticæ fuerint, quòd dicerent gratia nos consentire & dissentire posse; ut potius certum & minimè dubium sit, cuiuscumque gratia, etiam efficaci, resisti posses: id est cum quacumque gratia simul remanere activam, atque, ut supra dictum est, proximam dissentiendi potestatem; licet actû, ut etiam supra dictum est, nunquam efficaci gratiâ dissentiat.

V.

Gratuita prædestinationis doctrina maximam jure merito apud omnes Scholas Catholicas auctoritatem obtinet: hujus autem doctrinæ hæc summa est, ab omnibus ejus defensoribus recepta; solis electis, se spectetur non antecedens, sed absoluta & efficax Dei voluntas, salutem æternam absolutò Dei decreto destinatum esse, cum ea gratiarum ac beneficiorum serie, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur; quorum beneficiorum utique præcipuum est perseverantiæ donum, quod nemo proprium esse prædestinationum inficiatur: hinc sequitur Christum, cujus absoluta voluntas patènter semper conformis exitit; hoc decretum, nec precibus, nec morte suâ simpliciter & absolute mutare voluisse: Itaque solis illis absolute & efficaciter præmereri voluit salutem æternam, & perseverantiæ donum, quos sibi à Patre datos & de manu sua à nemine raptum iri in Evangelio dicit. De his capitibus apud omnes gratuite prædestinationis defensores convenit; quibus ea tantum Christi mortis omnibus impensæ generalitas excluditur, quâ collata omnibus hominibus asseruntur gratia ita sufficientes, ut præterea efficacem ad volendum seu operandum non requirant.

**E**

*Sed hac opinione dempta, nihil obstat, imò prorsus veritati consentaneum est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ac sanguinem fudisse; tum quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit; tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum autem est, & hæreticum, dicere Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse, cum multis reprobis, omnibusque adeò justificatis, gratias tradita à Thomistis notione sufficiens meruerit, quibus ad salutem pervenire possent; quamvis nemo eis bene utatur, & in accepta iustitia perseveret, nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuveatur.*

## ARTICVLVS IX.

*Ex Adversariorum testimonio ostenditur, doctrinam Thomistarum, nihil habere cum Ianseniana commercij.*

**C**um teste Novatiano cap. 18. de Trinit. fir-  
mum sit genus probationis quod ab Adversariis sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probeatur, non potest melius ad manifestiùs ostendi, doctrinam Thomistarum de decretis & auxiliis per se efficacibus, nullum cum Ianseniana habere commercium; quam recensendo plura Adversariorum testimonia, quibus id ita ingenuè profitentur, ut eos conductos crederes in patrocinium & defensionem Thomistarum.

135. In primis enim P. Annatus, unus ex præcipuis ac illustrioribus Molinæ ac scientiæ mediæ defensoribus, librum Romæ edidit, cui hunc titulum præfixit: *Iansenius à Thomistis gratia per seipsam efficacis defensoribus condemnatus, circa quinque propositiones quæ Romæ examinantur, ipsumque his verbis inchoavit. Ianseniani Theologi, seu ut errorem tegant, seu ut in eo periculo in quo versantur, Patres Dominicanos habeant propitios, adulatoriâ quadam simulatione fingunt pugnare se tantum pro gratia physice prædeterminante, quam vocant gratiam per seipsam efficacem; nec aliud spectare, quam ut sartatecta sit illa doctrina, pro quo tanta contentione disputatum est, sub duobus Pontificibus, in Congregationibus de Auxiliis; & quia dicitur id aliquibus persuasisse, interesse puto, tum communis boni veritatis, quam omnes quarimus; tum privata Thomistarum dignitatis, autoritatisque, quam non expedit in censura damnabilium sententiarum implicari, ut omnes intelligant, præcipuos defensores gratia physice prædeterminantis, & qui causam illam ardentius egere circa tempora disputationum, contraria omnino posuisse principia, principii Iansenianis, quod ut spero, Lector adeo perspicue intelliget, ex oppositione doctrinæ illorum Thomistarum, ad quinque propositiones Iansenij, ut non dubitem, quin mecum dicturus sit, eos qui tam facile sibi parantur imponi à Iansenistis, alterutram necessariò Theologiam nescire, nempe vel Thomisticam, vel Iansenianam. Deinde toto illo opusculo, varia Thomistarum profert testimonia, quibus evincit Thomisticam doctrinam à Ianseniana discrepare plurimum, nihilque adinvicem habere commercij. Id ipsum disertè declarat in libro de libertate incoacta, in libro contra Bajanos, & in opusculo cui titulus est: *Informatio de quinque propositionibus ex Iansenij Theologia collectis, ac demum in libro quem nuper edidit, & cui hunc titulum præfixit, La conduite de l'Église, in quo decem & octo Thomistas inter &**

A Iansenianos insinuat discrimina. Unde plurimum illi debet Schola Thomistica, quod eam à Ianseniana sejunxerit; sed plus deberet, si eadem sinceritate, & aequitate, illam nihil cum Calvinistis affinitatis & commercij habere fateretur: nec solum in hoc Scholæ Thomistica, sed & sibi ipsi, ac veritati consulere, cum (ut supra annotavimus) Thomistæ non possint à Iansenianis distrahi, nisi pariter à Calvinistis sejungantur.

Quantum etiam Thomistæ à Iansenio & Iansenianis distent, disertè declarat nuperrimus, ac celeberrimus Societatis scriptor, P. Stephanus Dechamps, libro 2. de hæresi Ianseniana, disp. 6. cap. 9. his verbis: *Glorientur licet Ianseniani, tot se nuperi dogmatis patronos habere, quot physica prædeterminationis defensores existerant, verè tamen mihi videor esse dicturus, nullos huic doctrinæ infensores reperiri, quam qui post natam Calvini hæresim, ex S. Dominici ordine, aliisque ejusdem sacrae Theologiæ, majoris eruditionis & ingenij laude floruerunt. Adducitque sigillatim eos, & eorum dicta. Et disp. 3. cap. 3. Quam invidiosè (inquit) novi dogmatis fautores queruntur, per Iansenij latus unquam S. Dominici familiam peti! Quam importunè jactant eandem esse utriusque causam, nec illum Tridentina Synodi fulminibus percipi posse, quin isdem physica prædeterminationis assertores omnes ambrantur! Hoc in circulari apud imperitos & mulierculas debilaterant; hoc in publicis Doctorum concertationibus urgent acerrimè; hoc in libellis, quos tam frequentes emittunt in lucem, magno verborum apparatu ac pompa, cum omnibus expostulant. At istud tamen falsitatem omnem superat, & ab iis cum stomacho ridetur, quibus utraque opinio nota est atque perspecta.*

Similia habet P. Martinonius in Anti-Iansenio pagina 708. ubi hæc scribit: *Hanc esse Thomistarum & Jesuitarum causam qui dicunt, errant, vel ipsis Thomistis judicibus. Nulla est ex illis quinque propositionibus ad Summum Pontificem missis, ut eas speciali censura notare dignetur, quam duo illi Ordines non damnent, & Censurâ dignam judicent: nulla, cujus oppositum sibi certum esse non profiteantur: nulla denique, quam urriusque familie Theologi, quoique de his rebus scripserunt, non graviter infestati sint. Item pagina 131. profertur gratiam efficacem, quam docent Thomistæ, non necessitate voluntatem, sicut eam quam admittit Iansenius: Si falsum est (inquit) D. Augustinum docuisse gratiam necessitate voluntatem, & amissam esse libertatem indifferentiam, consequens est, fixa confessionem Adversarij, sententiam de electione & reprobatione independentem à præscientia operum, esse alienam à mente D. Augustini. Atqui evidens est, ut alibi ostendimus, Augustinum non ita docuisse, ut neque ullum alium Doctorem Catholicorum ante Iansenium: ne ipsos quidem assertores physica prædeterminationis, qui nihilominus volunt gratiam non inferre necessitatem voluntati, sed salvam manere libertatem indifferentiam, qua non perit per peccatum originale, detestantur; doctrinam contrariam, ut errorè Lutheri in libro de servo arbitrio, & Calvinii libro 2. Inst. cap. 2. & 3. damnatum à Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5.*

His adjungo Stubrochium in notis in primam Pauli Irenæi disquisitionem, ubi illi respondens, hæc habet: *Multa effundis, vel effuris absque & heterodoxa, v. g. Iansenium rectè sensisse, ac unam duntaxat gratia efficacis asserionem ab illo astrui: Thomistica, inquis, falleris ex ipsius Iansenij confessione. At (inquis) Innocentius &*

viva vocis oraculo, & scripto, declaravit, se qua-  
sitionem de auxiliis non attingisse. Sed quid hec  
ad errores & hereses Iansenij? frustra enim Tho-  
mistis vestris partibus accensetis, qui vos ut dam-  
natos hereticos rejiciunt. Et infra. Iesuita rem  
suo modo explicat, Thomistæ suo: utroque lici-  
to, & Catholico. Vos neutrum sequi estis: non  
Iesuiticum, quem horretis: non Thomisticum,  
quia Thomistæ constanter asserunt errare Iansenium,  
& ab ipsis non stare: Calvinianum igitur  
modum tenetis, ac proinde prorsus hereticum.

339. Non est etiam prætermittendus Martinez de  
Ripalda: Ille enim Tomo adversus articulos Mi-  
chaëlis Baij, à Pio V. & Gregorio XIII. dam-  
natos, pluribus in locis asserit, longè diversam  
esse Bajanorum & Thomistarum doctrinam, fru-  
straque Bajanos, seu Iansenianos, in sui tutelam  
eos sibi patronos advocare. Nam libro 2. disp.  
14. sect. 5. sic ait: Falluntur aperti, qui assertores  
physicæ prædeterminationis à Bajanis non di-  
vidunt, & fallunt Bajani volentes persuadere  
suam ab eorum sententia non esse diversam.  
Quod manifestum erit productis in lucem discrimi-  
nibus, quibus eorum sententia à Bajana dis-  
cedit. Et mox quatuor inter Bajanorum & Tho-  
mistarum doctrinam assignat discrimina, inter  
quæ secundum & præcipuum est, quod Bajani  
ingeniè admittunt per gratiam induci necessitatem  
antecedentem ad operandum, & eam non repu-  
gnare libertati, quia libertas soli repugnat coac-  
tioni, atque violentiæ. Prædeterminatores verò  
renunt admittere induci per gratiam efficacem  
necessitatem antecedentem, sed solam consequen-  
tem; libertatiq; asserunt contrariam, non solam  
coactionem, sed etiam antecedentem necessitatem.  
Quippe potestas antecedens agendi bonum, à Ba-  
janis solum asseritur constituta per gratiam in-  
trinsecè efficacem, & determinantem ad agendum  
inevitabili necessitate voluntatem. A Prædetermi-  
natoribus verò asseritur constituta per gratiam  
sufficientem, & indifferentem ad non agendum  
seorsim à gratia intrinsecè efficaci, qua non per-  
tinet ad posse agere, sed ad actualem actionem;  
quia ejus munus & effectus formalis non est  
reddere arbitrium potens, & sufficiens operari bo-  
num, sed applicare & facere ut ejus potestas & suf-  
ficientia reducatur ad actum. At necessitate ante-  
cedenti ad consentiendum seclusa, rectius possunt  
Prædeterminatores tueri potestatem liberam dissen-  
tiendi gratia, quam Bajani; cum necessitas antece-  
dens consentiendi, potestatem disseniendi reno-  
veat, necessitas enim consentiendi, dissuadet potesta-  
tem disseniendi; ubi enim potestas disseniendi est,  
non videtur esse consentiendi necessitas. Item disp.  
15. sect. 15. refert pluriù Thomistarum testimonia,  
quibus indifferentiam ad libertatem necessariam  
esse asserunt, tandemque sic concludit: Ex his  
constat Bajanos à Thomistarum sententia distare  
in tradenda definitione & conditione libertatis.  
Quippe Thomistæ constantissimè tuerentur, liberta-  
tem non posse cum necessitate antecedenti componi,  
& vindicare indifferentiam potestatis ad utrum-  
que, demptaque potestate ad utrumque indifferenti,  
adimi libertatem. Bajani verò, libertatem cum ne-  
cessitate antecedenti conjungunt, & indifferentiam  
potestatis ad utrumque necessariam ad libertatem,  
instanter explodunt, & absque potestate ad utrum-  
que indifferenti, voluntatem humanam mereri &  
demereri posse, tuerentur, nec ad hanc libertatem  
aliam conditionem desiderant, quam voluntariam  
& spontaneam, qualis competit dilectioni necessa-

Tom. I.

A rie Dei. A quo Thomistæ procul recedunt. Vnde frustra  
Bajani in sui tutelam eos sibi advocant Patronos.  
Denique ejusdem veritatis testem appello illu-  
strissimum Caramuclem, Satrianensem, & Cam-  
panienfium Episcopum: ille enim in Theologia  
fundamentali cap. 1. fundamento 1. respondens  
ad primam objectionem, sic ait: Ad primam res-  
pondeo, assignando disparitatem inter Thomista-  
rum & Iansenistarum opinionem: illa enim est  
probabilissima, & ut talis ab Ecclesia sapissimè  
approbata: hæc autem à multis Pontificibus reje-  
cta, & tandem ab Innocentio X. hereseos condem-  
nata; & hoc sufficit, ut altera defendatur, & al-  
tera non defendatur. Et infra Theſi 3. notabili 2.  
Ianseniani (inquit) non debent accenseri Thomi-  
stis, isti enim (etiam quando loquuntur severissi-  
mè) negant in sensu diviso necessitatem, quod  
probabiliter sufficit ut salvetur libertas. A Ian-  
seniani in omni sensu necessitatem protrudunt, &  
re sublata, retinent merum libertatis vocabulum.  
Tantum ergo habentes impostam nubem tes-  
tium, nemo prudens & sapiens potest Thomistis  
Janfenismum objicere, cujus præcipua in decursu  
hujus operis fundamenta convellemus; & totam  
ferè Janfenij doctrinam, Thomisticæ Scholæ  
principiis repugnare demonstrabimus. Interim  
placet hic brevem tabellam exponere, ex qua  
quinque propositiones ab Innocentio X. prof-  
criptas, fuisse pariter à D. Thoma tribus ante se-  
culis damnatas, manifestum erit.

ARTICVLVS X.

Quinque propositiones à Summo Pontifice  
Innocentio X. damnatæ, juxta  
doctrinam D. Thomæ.

P R O P O S I T I O I. Aliqua Dei præcepta hominibus 140.  
justis, volentibus, & conantibus, secundum  
presentes quas habent vires, sunt impossibilia;  
deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt.

D. Thomas qu. 24. de verit. art. 14. ad 1. Illud  
quod præcipit Deus, NON EST IMPOSSIBILE HO-  
MINI AD SERVANDUM. Quodlibeto 2. art. 6.  
Nullus tenetur ad hoc quod est supra vires suas, nisi  
per modum quò FIT SIBI POSSIBILE. In 2. dist.  
28. art. 3. in 1. argumento sed contra, Hieronymus  
ait, Qui Deum dicit PRÆCIPERE IMPOSSIBILIA,  
anathema sit. Et in 2. argumento, Deus non est  
magis crudelis quàm homo: sed homini imputatur  
in crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum,  
AD ID QUOD IMPLERE NON POTEST: Ergo hoc  
de Deo nullo modo est estimandum.

Propositio II. Interiori gratia in statu nature 141.  
lapsæ nunquam resistitur.

D. Thomas primæ ad Theſſalonicenses cap. 5.  
lect. 2. Aliquis dicitur extinguere spiritum in se,  
vel in alio, cum alius aliquid boni ex fervore Spi-  
ritus sancti vult facere; vel etiam cum aliquis bo-  
nus motus in ipso surgit, ET IPSE IMPEDIT:  
Actorum 7. Vos semper Spiritui Sancto resististis.  
Quibus verbis aperte agnoscit S. Doctor, in statu  
naturæ lapsæ gratiam aliquam interioriorem mo-  
ventem, cui resistitur. Similiter aliis in locis ad-  
mittit auxilium quò homo non utitur, & quod in  
vanum recipit: ait enim 2. ad Corinth. cap. 6.  
lect. 1. Quicumque GRATIA RECEPTA NON U-  
TITUR ad vitandum peccata, & consequendam  
vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit,  
Et 1. 2. qu. 106. art. 2. ad 2. Si quis post acceptam  
gratiam novi Testamenti peccaverit, majori pœnâ  
est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus,

Z 2



¶ AUXILIO SIBI DATO NON UTENS.

142. Propositio III. *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*


D. Thomas qu. 6. de malo, quæ est de electione humana: *Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum &c. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti et demeriti, in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Quò nihil clarius & expressius dici potest.*

143. Propositio IV. *Semipelagianii admittunt prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

D. Thomas quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod potest huic motioni resistere.*

144. Propositio V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse.*

D. Thomas 1. ad Timoth. 2. lect. 1. *Christus Jesus est mediator Dei & hominum, non quorundam, sed inter Deum & omnes homines, & hoc non esset, nisi vellent omnes salvare.* Nam voluntas Dei circa hominum salutem, & voluntas Christi mortem suam offerentis, & per eam media ad salutem sufficientia omnibus præparantis, sunt parallelæ, & sibi mutuò correspondent. Unde idem S. Doctor super caput 1. ejusdem Epistolæ, lect. 1. ait quod *per illam voluntatem Deus omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, & remedia.* Et in 1. dist. 46. qu. 1. art. 1. *Hujus voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, tam naturalia, quam gratuita.* Et super cap. 12. Epistolæ ad Hebræos lect. 3. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* Similiter 3. contra Gentes cap. 159. *Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri.*



## DISPUTATIO VII.

### De Ideis Divinis.

*Ad quæstionem 15. D. Thomæ.*

**P**ostquam D. Thomas latè differuit de scientia Dei, breviter discurrit circa divinas ideas: id est circa exemplaria creaturarum, quæ intellectus divinus intra se habet, quæ pertinent ad ejus scientiam practicam. Cui etiam ordini inhærentes, post tractatum de scientia Dei, agimus in hac ultima disputatione, de ideis in mente divina existentibus, de quibus quatuor tantùm discutienda occurrunt. Primum est, an sint ideæ in mente divina? Se-

**A** cundum, quid illæ sint, & per quid formaliter in ratione ideæ constituuntur? Tertium, an idea in Deo sit unica, vel multiplex? Quartum, an Deus habeat ideas omnium creaturarum? Circa primum & secundum fit

#### ARTICULVS PRIMVS.

*An & quid sint ideæ in mente divina existentes?*

##### §. I.

**B** Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ.

**N**otandum primò, Ideam sic rectè defini. *Idea est forma objecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* Explicatur breviter hæc definitio. Idea forma appellatur: nam teste D. Augustino lib. 83. quæstionum, quæst. 46. & D. Thoma hic art. 1. & quæst. 3. de veritate art. 1. idea græcè, latine forma dicitur. *Objecta intellectui, ad differentiam habituum, & specierum intelligibilium, quæ non habent rationem objecti intellectus, sed principij intellectiois. Intra ipsum existens, ad differentiam externorum exemplarium, ad quæ artifex respicit in suis operationibus. Denique additur, ad quam aspiciens artifex operatur, ad differentiam formarum naturalium: non enim dicimus, quod forma hominis generantis, sit idea vel exemplar hominis geniti: inquit D. Thomas de verit. quæst. 3. art. 1. Nam licet agentia naturalia, producant effectus sibi similes in forma, non tamen operantur respiciendo illam. Pro cuius majori evidentia*

**2.** Notandum secundò ex eodem D. Thoma qu. 3. de veritate art. 1. Triplicem posse dari formam alicujus: unam quæ dicitur *forma ex qua*: aliam quæ vocatur, *forma quæ*; & alteram quæ *forma ad quam* denominatur. *Forma ex qua* est illa quæ intrinsecè totum componit, & ex qua compositum constituitur. *Forma à qua* illa est à qua ut ab agentis principio effectus egreditur. *Forma vero ad quam* illa dicitur, ad cuius similitudinem effectus producitur, & ad quam respiciens artifex operatur; & hæc est forma exemplaris, ad cuius similitudinem aliquid constituitur, & in hac significatione consuetum est nomen ideæ accipi, ut idem sit quod forma quam aliquid imitatur. Sed

**3.** Notandum tertio, Aliquid posse imitari formam aliquam dupliciter, ut ibidem notat S. Doctor. Uno modo ex intentione agentis, sicut pictura ad hoc fit à pictore, ut imitetur aliquem, cuius figura depingitur. Aliquando autem prædicta imitatio per accidens est, ac præter intentionem, & à casu; sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, quem repræsentare non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam à casu, non dicitur ad illam formari; quia ly *ad* videtur importare ordinem ad finem: unde cum forma exemplaris, vel idea, sit ad quam formatur aliquid, oportet quod formam exemplarem, vel ideam, aliquid imitetur per se, non per accidens. Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius, per agens quod non determinet sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideæ. Quare aliqui sic illam definiunt: *Idea est forma quam aliquid imitatur, ex*